BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVI
B
57
NAPOLI

XXVI
B
57



V. EMANUELE II

#
1-10

Nobiliſſimis, Principibuſque Viris,

ACADEMIÆ LEIDENSIS

CURATORIBUS,

D. FREDERICO VAN DORP, Moſædami Domino, Viro Equeſtris Ordinis in Hollandia, ad Sereniſſimos Poloniæ & Sueciæ reges exlegato, Rhenolandiæ Balivo, ibidemque aggerum Præfecto.

D. JOHANNI VAN THILT, JC. urbis Harlemenſis Conſuli, ſupremi Senatus Rhenolandici Aſſeſſori.

D. CORNELIO DE WITH, Ruardo, Balivo, & ſupremo aggerum Puttenſis territorii Præfecto, Balivo Beyerlandiæ, Viro Conſulari primæ in Hollandiæ Dordrechtanorum urbis, inque conſilio Illuſtrium ac Præpotentium Hollandiæ Ordinum Aſſeſſori ordinario.

EORUMQUE COLLEGIS,

Viris Ampliſſimis, Graviſſimiſque

L E I D E N S I S

REIPUBLICÆ

C O N S U L I B U S,

D. JOHANNI MEERMAN, J. C. Legatione ad Sereniſſimum Britanniæ Regem functo.

D. PAULO VAN SWANENBURGH, J. C.

D. JACOBO VANDER MAES.

D. DANIELI VAN ALPHEN, D. Fil.

Et Item

Ampliſſimo, Conſultiſſimoque Viro,

D. PETRO BURGERSDICIO, J. C. Reip. Leidenſis Syndico, & Academiæ curatoribus à ſecretis.

Ea

EA nobis, Viri Nobiliſſimi, cum maxime ſunt tempora, hæc ſæculi noſtri infelicitas, ut quicquid pulcrum cultiorisque nec circumforaneæ eruditionis, depaſcat edax livor, carpatque dente invido immanis ævi barbaries. Labuntur mortalia omnia in deterius. Quieſcebat olim poſt fata livor, tuebaturque ex merito unumquemq; ſuus honos, certis terminis circũſcripta, ſublatã ex oculis virtutem quærebat invidia, nunc immiſſis libera habenis vagatur, nec contenta læſiſſe vivos, inſtat præſertim mortuis.

Quæ cum ita ſint, Viri Ampliſſimi, dudum incerti pependimus, quid publica hæc

temporum injuria ſequendum eſſet. Jam per aliquot menſes ſudat ſub prælo noſtro liber certe eruditus & coloris ſani, parentem agnoſcit, quid? immo agnovit Virum Clariſſimum *D. Hornium*, toto orbe celebratum Politicum, Hiſtoricum, Geographum. Hic nobis, ita volentibus fatis, ereptus triſtem ſui reliquit memoriam, & (quod dolendum maxime) immaturam ſobolem auctoris pollice necdum plene fictam formatamque, nec quantum valet paterna induſtria, adverſus malorum injurias præmunitam. Tamen ut nullus eſſet calumniæ prætextus, & bonis fieret ſatis, viſum fuit, cum tot nobiles alat patria ſtudiorum

Ma-

Mæcenates, potius tradere aliquorum tutelæ, quam necare partum.

Quærentibus igitur cui patrocinium tuendæ tenuitatis conveniret potiſſimum, veſtræ placuit ſobolem hanc commendare fidei; nec levibus cauſſis ad id impulſi. Movit nos Ampliſſimi Ordinis ſpectatus doctrinæ atque eruditionis amor, & ſubactum de rebus omnibus Judicium. Accedit quod probata vobis ſemper fuerit terſiſſima docti hominis ſcriptura, & laudatus parum ſano corpore indefeſſus labor. Et certe quibus potius conveniat patrocinium *Horniani* partus, quam iis qui *Curatores Academiæ*, bonarum artium fautores, Patrię Patres

audiunt; Qui igitur foviſtis & aluiſtis *Hornium*, excipite & tanti viri ſobolem, defendite à temporum & livoris injuriâ. Sed ne longiori oratione Veſtra, Viri Nobiliſſimi moremur tempora, Aſpicite non parvum hoc munuſculum, ſed propenſam voluntatem in dignitatem Veſtram, & demerendi ſtudium.

Accipite hoc opuſculum ea qua ſoletis dexteritate: ſic rite ſecundet D. O. M. veſtra conſilia, diuque familiis veſtris, Academiæ, bonis omnibus, **Patriæ denique commodet incolumes.**

Vovent

Veſtræ Dignitatis Humillimi
Cultores.

CORNELIUS DRIEHUYSEN
&
ARNOLDUS DOUDE.

GEOR-

GEORGI HORNI
ULYSSES
PEREGRINANS.

STUDIUM POLITICUM conſiſtit in tribus partibus: cognitione *Orbis*; *hominum* & *caſuum*, ſive eventuum. Cognitionem *Orbis* tradit *Geographia*; Hominum *Politica*; Caſuum ſeu eventuum *Hiſtoria*. Quæ omnia perficiuntur *uſu* & *experientia* rerum magiſtra.

Ex hoc colligitur ſtudium Politicum eſſe diffuſum, difficile & dubium.

Amplitudo exinde patet, quia circa totum orbem terrarum verſatur.

Difficultas, quia in actionibus humanis abſtruſis & variis conſiliis occupatur.

Et denique *Ambiguitas*, quia circa eventus & ſucceſſus caſuum ac conſiliorum, adeoque particularia, quæ ſunt

A innu-

innumera, verſatur. Sed tribus his incommodis tria opponuntur Remedia: amplitudini *Methodus*, brevitas & perſpicuitas. Difficultati, *labor* & patientia. Ambiguitati ſeu incertitudini, *experientia*.

GEOGRAPHIA.

In *Geographia* Politico ſcire ſufficit, quæ maxime generalia & neceſſaria ſunt, & ubique in actionibus ac diſcurſibus Politicis manifeſtum uſum habent, quæque inter homines præſertim Politiores ignorari abſque ignominia non poſſunt.

Hæc autem ſcientia conſiſtit in cognitione *Globi* terreſtris & *mapparum* Geographicarum. In *Globo* ſpectantur duo præcipua Axis & Circuli. *Axis* extremitates vocantur Poli, & duo ſunt, *arcticus* ſive ſeptentrionalis & *Antarcticus* ſeu Auſtralis. *Circuli* dividuntur in Majores & Minores.

Majores ſunt Horizon, æquator, meridianus & Zodiacus.

Minores ſunt Tropici, *Cancri* verſus ſeptentrionem: *Capricorni* verſus Auſtrum: Et duo Polares: *Arcticus* verſus ſeptentrionem *Antarcticus* verſus Auſtrum. Ex

Ex his Circulis oritur diviſio Globi terreſtris in quinque *Zonas*, nempe in duas *frigidas*, duas *temperatas* & unam *torridam*.

Sed præcipua notitia Geographica conſiſtit in longitudine & latitudine locorum.

Longitudo vocatur, diſtantia loci à primo meridiano verſus orientem vel occidentem. Ea numeratur in æquatore: initium numerandi fit à primo Meridiano, qui olim fuit in Inſulis *Canariis*, hodiè tranſlatus ad inſulas *Aſores*.

Latitudo vocatur diſtantia loci ab æquatore verſus Septentrionem vel Meridiem. Quæ etiam vocatur *Elevatio* Poli.

Sed longitudo admodum ambigua & incerta eſt neque hactenus reperiri potuit indubitata ratio inveſtigandi exactam longitudinem locorum. Sufficit ergo ſcire latitudinem præcipuorum locorum.

Præcipua autem loca, quorum latitudinem Politicus obſervare & memoria tenere debet, hæc ſunt.

Auſtralis Latitudinis.

Fretum Magellanicum	52
C. Bonæ Spei	33

S. Helena	23
Potoſi	20
Sumatra, S. Thome	0
Borealis Latitudinis	
Batavia Nova.	5
C. Verde	14
Goa	15
Mexico	20
Mecca, Suratta, Formoſa, Havana, Matança	23
Alcair, M. Sina, Baſora	30
Iſfahan, Jeruſalem, Nanking, Marocco	32
Peking	40
Madritum, Neapolis	41
Roma, Saragoſſa, Theſſalonica	42
Conſtantinopolis	43
Venetiæ, Lion	46
Paris, Vienna, Nancy, Ratiſpona	48
Noriberga, Cracovia	49
London, Amſterdam	52
Dublin, Hamborg	53
Yorck	54
Edenburg, Hafnia, Moſcow	55
Stockholm	59
Bergæ Norw. Abo	61
Wiborg	64
Drontheim	65
Torne	68

Skal-

Skalholt. 66
Holum 67
Wardhuys 71
Terra Incognita. 81

Circulus Magnus Geographicus dividitur in partes æquales 360. quæ vocantur *Gradus*. Unicus gradus Geographicus eſt 360. pars totius Circuli. Gradus complectitur Milliaria Germanica 15. Atque hæc in genere de Globo ſcire Politico ſufficit.

Particularem autem omnium Regionum notitiam ac deſcriptionem Politicus acquirere & haurire debet ex Mappis Geographicis, imprimis vero ex magnis illis voluminibus, quæ vocantur *Atlantes*, quorum Politico neceſſarius eſt uſus, & unde quam facillimè regionum omnium ſitum & diſtantiam haurire poteſt. Quibus addi debent *Theatra* Urbium & *Imagines* ſeu picturæ magnorum, qui unquam floruerunt, virorum.

Secunda pars doctrinæ Geographicæ, quæ in Politico requiritur, conſiſtit in eo, ut ſciat *diviſionem* orbis terrarum in ſua *Imperia*, *Regna*, *Principatus* & *Reſpublicas*. Nam ſub his quatuor capitibus continetur omnis de-

ſcriptio orbis terreſtris quatenus ad Politicam referri poteſt:neque ulla eſt provincia aut populus, qui non pertineat ad aliquod Imperium, vel Regnum vel Principatum vel Rempubl. Nam quod ſpectat populos quoſdam barbaros,qui vivunt ſine lege & Rege, & ſparſim habitant, quales ſunt *Braſiliani*, & in Africa ad Caput Bonæ Spei, qui vocantur *Hotetots*,illorum à Politico nulla habetur ratio, quia non politicè vivunt,adeoque brutis accenſeri debent; & tamen hi populi non plane excipiuntur ab aliqua ſpecie vel forma regiminis.

Igitur quod *Imperia* ſpectat, ea ſunt vel *Aſiatica* vel *Africana* vel *Europæa*.

In *Aſia* numerantur quinque magna Imperia: *Iaponicum,Sinenſe, Mogolicum, Perſicum, Tartaricum.*

In *Africa* ſunt tria Imperia *Fez-Maroccanum, Abyſſinum* & *Monomotapæ*.

In *Europa* ſunt tria Imperia,*Germanicum, Ruſſicum* & *Turcicum*.

Regna quoque alia ſunt Aſiatica alia Africana alia Europæa.

Aſiatica ſunt innumera per Indiam Orientalem, ex quibus præcipua ſunt in *Java*, Regnum Magni *Matharan*.

In

In *Sumatra*, Regnum *Achain*. In *Zeilon* Regnum *Candy*. Et in continenti Indiæ, Regna *Siam*, *Pegu*, *Bengala*, *Narſinga* & *Decan*. In Arabia quoque varia ſunt Regna, ſed nobis ferè incognita.

In *Africa* ſunt parva Regna nautis potius quam politicis cognita.

In *Europa* ſunt ſeptem Regna, *Polonicum*, *Suecicum*, *Danicum*, *Britannicum*, *Gallicum*, *Hiſpanicum*, *Portugallicum*.

Principatus in Aſia & Africa ferè habentur nulli, niſi quod in Syria celebris eſt Princeps *Saidæ* ſive *Sidonis*. Item Principes *Georgianorum*.

Sed in Europa Principatus ſunt celeberrimi & qui Regibus ſeſe æquiparare ſolent, quanquam omnes ſubjiciantur majori alicui Imperatori vel Regi, à cujus Majeſtate quaſi dependent.

Et tales Principatus ſunt ſub Imperio Turcico, *Moldavia*, *Valachia* & *Tranſilvania*.

Sub Regno Poloniæ, *Pruſſia*, quæ tamen nunc exemta & ſui juris eſt.

Sub Imperio Germanico quamplurimi ſunt Principatus, qui dividuntur

in *Electorales* & *Ducales* ſ. Principales.

Ex quibus precipui ſunt Principatus *Saxonici, Bavarici, Marchiaci, Palatini, Suevici, Lotharingici, Belgici, Weſtphalici* & *Auſtriaci.*

Sub Regno Galliæ hodiè unicus Principatus liber & ſui juris eſt, nimirum Principatus *Auriacus.*

In Dania etiam unicus *Sleſvicenſis.*

In Hiſpania, Portugallia, Britannia, Suecia nulli planè ſunt Principatus liberi & qui titulo *Dei Gratia* vel aliis regalibus utuntur, omnes ſunt Vaſalli & Titulares, qui pro lubitu Regum nunc tolluntur, nunc deprimuntur.

In Italia celebres Principatus ſunt, *Sabaudia, Mantua, Parma, Toſcana* & Dominium *Papæ* Rom. politicè ſpectatum. Ultimam claſſem conſtituunt Reſp. liberæ, quæ parem cum Regibus ſibi gradum & dignitatem vendicant. Et tales nullæ niſi in ſola Europa reperiuntur.

Aſia & Africa ignorant quid ſit libertas, & à pluribus regi, ideoque illis videtur impoſſibile, poſſe populum gubernari à pluribus.

Sola Europa habet *Reſp.* potentiſſimas

mas,& quę potentia cum maximis Regibus certant, quarum tres ſunt *Majores*, Reſp. *Veneta, Belgica* & *Helvetia*. Tres *Minores*, ut *Genua*, *Luca* & *Raguſa*. Nam quod Civitates *Hanſeaticas* ſpectat, non poſſunt ad Reſp. referri, quia non ſunt Civitates ſui juris ſed Imperatori Germanico ſubjectæ. Et quia fœdus Hanſeaticum hodiè quaſi evanuit, ſingulis civitatibus ſeipſum conſulentibus. Atque hæc eſt generalis quædam orbis Politici delineatio. Nunc quid in ſingulis Regnis, Politico præcipuè ſit obſervandum ordine exponemus.

IMPERIA.

I. *Japonicum*.

Imperium *Japonicum* in extrema Aſia ingentes Inſulas, quarum finis nec dum reperiri potuit complectitur. Et ſtupenda hujus Imperatoris eſt tum potentia tum Majeſtas.

De hoc Imperio legi poteſt nuper edita deſcriptio Japoniæ Franciſci Caroni, qui totis 20 annis ibi verſatus, omnia exactiſſimè tradidit. Regia ſedes olim fuit in Urbe *Miaco*, hodiè eſt in Urbe *Jedo*. Cum hoc Imperio Eu-

ropæis nulla alia intercedit notitia, quam Mercatoria, quam præcipue ibi exercent Luſitani & Hollandi. At prima lex Mercaturæ eſt, *Ne quiſquam faciat mentionem fidei Chriſtianæ.* Cui legi occaſionem præbuere Jeſuitæ qui multa Japponenſium millia ad ſuam fidem ſeduxerunt. Unde verebatur Imperator, ne introducta nova religione oriretur defectio populi, & decreto juſſit, omnes novos Chriſtianos interfici: ita multa centena millia Japonum ſunt interfecta. Ab eo tempore Chriſtiani ſunt proſcripti, & habetur inter leges fundamentales, ne fiat mentio fidei Chriſtianæ. In cæteris nulla intercedit cuiquam Principi cum Japonenſibus negotium, nam Imperator Japoniæ excipit quidem Legatos peregrinos, ſed nullos mittit, quod nullius amicitia opus habeat. Cum ſolis Sinenſibus propter viciniam & antiqua odia bella frequentia ipſis intercedunt.

II. Sinenſium.

Sinenſium Imperium complectitur XV ampliſſimas Provincias ſeu potius Regna. Metropolis illius in Septentrione eſt *Peking*: In Auſtro *Nanking*. A Tar-

A Tartaris dividitur ampliſſimo muro per ccc milliaria inter montes continuato. Hoc tam vaſtum Imperium univerſum plene à Tartaris fuit expugnatum A. cIↄ Iↄc LXV.

III. Tartaricum.

Hoc ante aliquot ſecula totam ferè Aſiam maximè verò antiquam Scythiam complectebatur, hodiè in varia Regna diſtractum: Ex quibus duo ſunt præcipua, Tartarorum *Orientalium* & *Occidentalium*. Orientales ſunt illi, qui hodiè in Imperio Sinico dominantur. De reliquis parum nobis conſtat.

IV. Mogolicum.

Hoc antiquam *Indiam* complectitur, ejuſque Imperator vocatur Magnus Mogol, ex poſteritate Tamerlanis Tartari. Metropolis hujus Imperii eſt Urbs *Agra*.

V. Perſicum.

Hoc obtinet familia *Sophianorum*. Metropolis eſt Urbs *Iſpahan*. Urbs Babylonia ſive ut hodiè vocatur *Bagdad*, ambigui juris inter Turcas & Perſas verſatur, atque præcipua bellorum

cauſa eſt, nunc his nunc illis eam ſibi vendicantibus.

VI. Turcicum.

Imperium Turcicum per Aſiam, Africam & Europam ſe extendit. Metropolis eſt *Conſtantinopolis*. Reliquæ Urbes præcipuæ ſunt *Aleppo*, *Damaſcus*, *Jeruſalem* & *Alcair*.

VII. Abyſſinum.

Hoc complectitur interiorem Africæ partem, quæ *Æthiopia* vocatur, olim fuit ampliſſimum, ſed hodiè admodum à Turcis aliiſque populis debilitatum. Imperator ab Europæis vocatur Presbyter Johannes. Sedes eſt in tentoriis & vaga.

VIII. Ruſſicum.

Hocce quam longiſſimè verſus Septentrionem extenditur. Metropolis eſt. *Moſcow.*

IX. Germanicum.

Imperium Germanicum, alio nomine Imp. *Romanum* quod hodiè non niſi Germaniam & exiguam tantum Italiæ partem complectitur. Sedes Imperato-

peratorum ex Domo Auſtriaca eſt Urbs *Vienna* & interdum *Praga*.

Atque hæc ſunt præcipua per orbem terrarum Imperia. Sequuntur

REGNA.

Regna in India Orientali quamplurima ſunt, de quibus tamen ſpeciatim dicere nil attinet, uti nec de Regnis, quæ per Africam reperiuntur, quia illorum notitia non eſt neceſſaria. Sufficit igitur præcipua tantum enumerare. Ac primo quidem Regnum *Fes* & *Marocco*, præcipuum Africæ, duas habet Metropoles, Urbem *Fes* & Urbem *Marocco*.

In Europa octo occurrunt Regna.

I. Tartaricum.

Tartaria *Minor* quæ etiam *Præcopenſis* vel *Krimæa*. Metropolis eſt Urbs *Krym*.

II. Polonicum.

Regnum Poloniæ complectitur *Poloniam*, cujus Metropolis *Warſow*, *Cracow*, & *Lituaniam*, cujus Metropolis *Vilna*.

III. Sue-

III. Suecicum.

Hoc complectitur *Gotiam, Sueciam* propriè ſic dictam, *Norlandiam, Finlandiam, Lapponiam* & quaſdam Germaniæ Provincias. Metropolis eſt *Stockholmia.*

IV. Danicum.

Hoc complectitur *Daniam* cujus Metropolis *Hafnia.* & *Norwegiam* cujus Metrop. *Chriſtiania*: ad eam quoque pertinet *Iſlandia.*

V. Britannicum.

Regnum Britanniæ complectitur *Angliam, Scotiam* & *Hiberniam.* Metropoles ſunt, Angliæ *Londinum,* Scotiæ *Edenburgum,* Hiberniæ *Dublinum.*

VI. Gallicum.

Regni Galliæ Metropolis eſt *Lutetia* Pariſiorum.

VII. Hiſpanicum.

Ejus Metropolis eſt *Madritum.*

VIII. Portugallicum.

Regni Portugalliæ Metropolis eſt *Lisboa.* Sed ad hæc duo Regna Hiſpaniam

paniam & Portugalliam, ampliſſimæ inſuper per Aſiam, Africam & Americam ditiones pertinent, ita ut terrarum amplitudine atque opibus maxima etiam Imperia vel æquent vel ſuperent.

PRINCIPATUS.

Sequuntur nunc Principatus, quorum præcipui in *Italia* & *Germania* reperiuntur.

In *Italia* Principatus *Sabaudiæ* cujus Metropolis eſt *Turin*. Deinde *Mantua*, *Parma*, *Placentia* & inprimis magnus Ducatus *Florentiæ* ſive *Toſcanæ* à ſingulis Urbibus de nominatæ.

In Germania frequentiſſimi reperiuntur, quos omnes recenſere, cum ſint notiſſimi, opus non eſt.

RESPUBLICÆ.

Ultimam Claſſem Geographiæ politicæ conſtituunt Reſp. liberæ, Majores & Minores. Majores ſunt Reſp. *Veneta* cujus caput ſunt *Venetiæ*. Reſp. *Helvetica* complectitur *Cantones* ſeu pagos XVI. ordinarios. Conventuum locus eſt *Baden*. Reſp. *Belgica* complectitur ſeptem Provincias Confœdera-

fœderatas. Sedes regiminis eſt *Haga* Comitum.

Minores ſunt I. Reſp. *Genuæ,* cujus caput Urbs *Genua.* II *Luca,* III *Raguſa* à ſingulis Urbibus ita denominatæ.

Atque hæc pręcipua ſunt illa capita, in quibus Geographia politica conſiſtit, & quam quivis privata induſtria pro lubitu prolixius illuſtrare & amplificare poteſt. Nam quicquid memorabile vel in lectione vel peregrinatione occurrit, id omne vel ad Imperium, vel Regnum, vel Principatum, vel Rempublicam revocari poteſt.

Sequitur nunc, ut ad *Secundam* partem, quæ agit de Notitia *hominum* accedamus: Non n. ſufficit ad cognitionem Politices noſcere tantum poſituram Orbis, ſitum Provinciarum, nomina Urbium & Regionum, ædificia publica & privata. Sed potiſſima pars vitæ humanæ conſiſtit in cognitione hominum, naturarum ac morum. Quanquã enim ab Adamo omnes homines deſcendant, immenſa tamen reperitur inter eos differentia atque etiam contrarietas. Ita quidem ut pro illa populorum varietate, ipſa Politica poſſit eſſe varia, & inſtar Polypi vel Cameleon-

tis

tis colores ſuos variare ; neque quiſquam aptior eſt ad civilem converſationem , quam qui ſe omnium moribus & ingeniis dextre & ſine affectatione accommodare poteſt. Quam virtutem *Alcibiadi* Athenienſi olim adſcripſerunt. Et ſuperiori ſeculo *Carolo V.* qui diverſiſſimas nationes, Italos, Germanos, Belgas & Hiſpanos tam lingua quam moribus & habitu ita exprimebat, ut apud ſingulas natus & educatus videretur. Quam artem cum filius ipſius *Philippus II.* non calleret, ſed totus eſſet Hiſpanus, hinc in magnas turbas incidit, ipſaſque Provincias Belgicas amiſit. Sed quandoquidem immenſum eſſet omnium populorum inſtituta, naturam & mores perſequi, ideo ſumma tantum capita breviter, quantum fieri poteſt, perſequemur.

Quemadmodum quatuor ſunt præcipuæ orbis partes ; ita etiam cum quatuor Elementis & temperamentis in genere comparari poſſunt : Europa *aquæ*, Aſia *aëri*, Africa *igni*, America *terræ*.

EUROPÆI.

Quippe Europa undique mari & Oceano

Oceano interſecta ac innumeris fluminibus irrigua, tota maritimis ſtudiis exercetur, adeoque ſola in reliquas orbis partes claſſibus ſuis excurrit, ac totum orbem circumnavigat. Hinc corpora Europęorum communiter aquea, ſeu ut Medici loquuntur phlegmatica & humidiora. Præcipuè ubi adSeptentrionem magis inclinant & longius ab Africa recedunt. Nam quod Hiſpani & Itali hodiè videntur naturam obtinere ſiccam & calidam id ipſis non naturale ſed adventitium eſt. Quippe ex Africa aduſta plerique Hiſpani hodierni originem trahunt, unde & mores illorum & naturam referunt.

Proprium Europæis olim erat capillos habere albos, flavos vel rubros. Idque antiquis temporibus cum adhuc impermixti eſſent populi ferè univerſale & perpetuum fuit, donec tandem irruptione & tranſmigratione variorum populorum exterorum, illa ſinceritas fuit corrupta ac peregrinitate violata.

Unde hodieque in Germania, qui atris ſunt capillis cenſentur ab Hunnis, Attilæ exercitu, originem trahere, cum alii priſcam originem flavis vel albis capillis teſtentur.

Vaſta

Vaſta etiam Europæorum, maxime Germanorum corpora antiquis temporibus aqueam illam ſeu humidam naturam teſtabantur. Nam olim & quidem Cornelii Taciti adhuc ævo, Germani ſtatura adeo fuerũt enormi, ut Italis vel ſolo conſpectu formidabiles eſſent. Nunc autem illi artus longè contractiores reperiuntur, cujus præcipua cauſa eſt luxuria & nimius uſus vini ac aromatum: nam antiquiſſimus Europæorum cibus erat humidus & pinguis ex carnibus, inprimis caſeo, lacte & butyro.

Accedebat communis aquę vel craſſæ cereviſiæ potus, tum perpetua bellorum, natationis vel venatus exercitia, ſera matrimonia, moderata Venus, caſta conjugia, commeſſationes frequentes, quæ omnia tantum robur & augmentum corpori conciliarunt. Unde etiã in moribus priſca illa ſimplicitas & vita procul à fraudibus ac dolo, præcipuè conſtantia & fides in verbis & promiſſis, ut etiam *Germanica* fides in proverbium abierit. Quibus omnibus mutatis & in contrarium verſis, quis miretur naturam quoque multum & in magnitudine & moribus eſſe mutatam?

Euro-

Europæi in genere cultiores ſunt reliquis populis, & hodiè omnem humanitatem maximè Chriſtianam Religionem & Imperium ſeu Monarchiam orbis terrarum poſſident: apud eos ſedes eſt eruditionis, ac ſoli omnium populorum tam antiquorum quam recentiorum linguis loquuntur. Ut quẽadmodum olim in Apoſtolos, ita hodiè in Europæos effuſum videatur donum linguarum.

Sicut verò aqua in perpetuo fluxu ac motu difficulter terminis cöerceri poteſt: ita etiam mobilis Europæorum naturâ præcipuè peregrinatione delectatur, ac ubique terrarum novam ſibi patriam quærunt; hinc toto paſſim orbe ſparſi, ubique colonias ſuas habent, neque tamen à lingua & moribus ſuis multum deficiunt, quæ omnia ex Patriarchæ *Noachi* Teſtamento proficiſcuntur, qui *Japheto* primigenito filio ſuo *dilatationem* præcipuè promiſit.

De ſingulis Europæ nationibus extant vulgo quædam dicteria, quibus à ſe mutuo diſcernuntur. Nam *Germani* in univerſum cenſentur bibaces, *Galli* leves, *Hiſpani* lenti, *Itali* circumſpecti,

Poloni

Poloni jactatores, *Angli* ſuperſtitioſi, atque ita de aliis nationibus, quædam vitia vel virtutes referuntur, quæ tamen omnia cum grano ſalis ſunt accipienda, neque putandum illa ubique eſſe vera, quapropter Germani utuntur hoc verſu contra opprobria Italorum.

Ut nos vina juvant, ſic vos Venus improba vexat
Et poſita eſt Veneri Julia, nulla mero.

Quemadmodum autem ſinguli populi ſua habent vitia vel virtutes, ita etiam ſingulis nationibus quædam particularia inſunt, quibus ab aliis diſtinguantur. In Gallia *Normanni* pro luxurioſis, *Gaſcones* pro jactatoribus habentur, tam univerſali vitio, ut jactantiam quaſi proverbium vocant *Gaſconâda*. Atque ita aliarum quoque nationum proprietates vulgaribus rythmis circumferuntur. Quæ omnia ſpeciatim commemorare non eſt opus, & ipſa experientia hoc ſatis oſtendit. Illam quoque Europæorum ſeu Septentrionalium cum aqua convenientiam oſtendunt magnę illæ inundationes & migrationes populorum, quæ ex Septentrione verſus Auſtrum factæ fuerunt.

runt. Quippe *Gothi, Wandali, Longobardi, Franci, Hunni, Slavi, Itali, Hiſpani,* omnes fuerunt populi Europæi, qui veluti diluvio quodam reliquas orbis partes inundarunt, & maxima Imperia condiderũt. Propriũ enim aquarũ enim eſt inundare ac ſe diffundere.

ASIATICI.

De natura Aſiaticorum jam ſequitur. *Aſiatici* in univerſum *molles* habentur, quippe qui verſus Orientem declinant, ac in regione plurimum temperata habitant, & quæ inter calorem & frigus media, neque nimiis caloribus corpora adurit, neque nimio frigore condenſat. Hinc habitus quoque muliebris, tunicæ vel togæ talares, capita multiplicibus linteis involuta, uſus Veneris profuſus, continentia in potu, & alia multa, quæ corporis mollitiem denotant. Sed qui hodiè Aſiam tenent magnam partem ex Septentrione originem trahunt, quales imprimis ſunt *Turcæ, Perſæ* & *Tartari,* de quorum etiam moribus quædam ſunt addenda.

Ad Turcas quod ſpectat, qui Europæ magnam partem occuparunt, eorum

rum quoque mores & naturam cognoſcere operæ pretium eſt. Hi grandinis in morem omnia proruunt, & veluti fulmen ſegetes, ita ipſi urbes nationesque proſternunt, nuſpiam diu in uno loco ſubſiſtentes, & eadem velocitate latibula ſua repetunt. Unde haud immerito Prophetæ dixerunt: *A Septentrione omne malum.* Accedit & illud, quod Septentrionalis Aſia propter viciniam maris glacealis maximè ventoſa eſt & immenſis flatibus expoſita, unde illa Tartarorum ferocia proficiſcitur. Quemadmodum nautas aquarum & ventorum perpetua jactatio barbaros & inhumanos reddit.

Igitur Europæis duæ tantum nationes Aſiaticæ formidandæ ſunt, *Turcæ* nim. & *Tartari*, ſed contraria planè ratione. *Turcæ* enim ſtabiles in Europa ſedes figere ac promovere ſtudent, & ſemel partis difficillimè avelluntur. *Tartari* vaſtitate & præda contenti ad ſua brevi remeant. Potes Turcas comparare cum pediculis vel cimicibus, Tartaros cum pulicibus vel muſcis. Atque hæc breviter de moribus Aſianorum dicta ſint.

AFRICANI.

Sequitur ut nunc agam, de natura & moribus Africanorum.

Africani cum igne comparari poſſunt, vel potius cum carbonibus. Sunt enim colore atro inſtar exſtinctarum prunarum, capillis criſpis,& lanuginoſis, molliſſima cute. Iracundi, ſubdoli, perfidi, leves, mobiles,& quo magis ad æquatorem accedunt,eò ferociores.Ita quidem ut nuſpiam terrarum reperiuntur immaniores homines, & magis ab omni humana ratione alieni, quam Afri ſub Zona torrida exuſti.

Quod exemplo duorum populorum, *Anzicanorum* & *Jaccharum* luculenter probari poteſt, de quorum immanitate horrenda & ferè incredibilia commemorantur à *Pigafetta* in deſcriptione Regni *Concho*. Et quid magis miſerum quam habitatores Capitis *Bonæ Spei*, qui profectò etiam porcos & immundiſſima quoque animalia ſuperant, & quamvis in regione fertiliſſima poſiti, frui tamen naturæ bonis non poſſunt, neque exterorum commercio à beſtiali illa vita abduci. Cultiſſimi fortè Africanorum ſunt *Abyſſi-*

ni,

ni, qui & religionem Chriſtianam & literas aliquas profitentur. Sed & illi non niſi vilia mancipia ita quidem ut tota India & Perſia non aliis frequentius quam Abyſſinis mancipiis utantur. In univerſum igitur Africa eſt terra maledicta, maxime qualis noſtro tempore conſpicitur, & ex eâ nullum Europæ periculum, niſi quantum à pyratis Tunetanis, Tripolitanis & Algierenſibus, qui hodiè omnia maria ſuis claſſibus infeſtant, & ad quos reprimendos vix totius Europæ vires ſufficiunt. Sed illi non ſunt origine Afri, verum maximam partem Europæi, qui abnegata fide Chriſtiana præmium defectionis prædandi licentiam acceperunt. Unde nec Turcarum Imperatori plenum in iis jus ſit. Cum Abyſſinis crebra olim Europęorum commercia, maximè Luſitanorum, qui conabantur Imperatorem illum per Africam potentiſſimum, fœdere ſibi conciliare contra vicinam Turcarum potentiam. Poteſt enim Abyſſinus facilè in Ægyptum & Arabiam penetrare, atque etiam fluvium Nilum, à quo omnis fertilitas dependet, intercipere. Sed conſilia hæc fuerunt irrita, ac Abyſſi-

nus perpetuis bellis domeſticis implicatus, ne ſua quidem defendere poteſt. Atque hæc de Africæ moribus dixiſſe ſufficiat. Reſtat ut ad Americam accedamus.

AMERICANI.

Superiori ſeculo detectus orbis, novos quoque homines aperuit, in tantum à natura aliorum diſcrepantes, ut aliqui in eam opinionem venerint, ab alio Adamo, quam cujus Moſes facit mentionem, illos originem traxiſſe. Quod igitur inter elementa eſt *Terra* & in vino *fex*, id inter partes orbis eſt America. Regio quidem omnibus naturæ dotibus inſtructa, ſed homines alens ultra modum feroces & barbaros, & qui ipsâ quoque humanitatem exuerunt. Nudi corpore vel leviter veſtiti, imberbes, & quod præcipuum immanitatis argumentum humanarum carnium voratores, non inopia melioris victus, ſed ut vindictam in hoſtes eo modo exerceant. Qua America vel in Auſtrum vel in Septentrionem procurrit, eo major barbaries & omnis humanitatis ignorantia, idque non tam neglectu vel tradentium defe-

defectu, ſed quia ipſi incapaces omnis diſciplinæ & humanitatis reperiuntur. Et tales in Auſtro ſunt *Braſiliani*, in Septentrione *Chickimecæ*, *Floridani*, *Quivirani* & alii. Mediam Americam duo magna Imperia complectebantur, *Mexicanum* & *Peruanum*, quæ ſplendore & opibus, atque etiam aliqua prudentia civili majorem præ ſe ferebant culturam, nam & magnificis ædificiis & ſubtiliſſimis artibus, ipſam quaſi Europam provocabant. Sed aderat ſimul literarum ignorantia, ut inter tot nationes nulla reperiretur, quæ ſenſa animi aut facta literis annotare noſſet. Arma illorum ex ligno aut ſilice, unde Europæis tam facilè fuit innumeras ipſorum copias profligare: quippe terribilis ipſis erat bombardarum fragor & tormentorum tonitrua. Potiora Americæ Hiſpani coloniis ſuis occuparunt. *Braſilia* in Portugallorum & Hollandorum poteſtate conceſſit. Reliqua inter Gallos & Anglos & Belgas varie diviſa. Nihil Europæ ab America metuendum, niſi ingentes illi theſauri quos inde advehunt annuis claſſibus Hiſpani. Ita ut auro & argento Americano, totam Europam impleverint & opi-

opibus & bello. Quippe America eſt inexhauſtum illud cornucopiæ, tam uberi metallorum proventu, ut vel ipſam avaritiam explere poſſit. Sed illud admirandum eſt, Hiſpanos in America natos, tam cito Europæorum naturam exuere, ac in Americanos tranſmutari. Vocantur Hiſpani in America nati & educati *Criolii*, qui reliquos ſuæ gentis in Hiſpania natos maximo odio proſequuntur, unde aliqui ſpem conceperunt, vel hos Criolios aliquando ab Hiſpanis defecturos vel exteras nationes immiſſuros, quarum ope ab oppreſſione Hiſpanorum liberentur. In univerſum Americani ſimpliciores Europæis reperiuntur, idque alimentorum & aëris culpâ. Neque enim eadem ciborum in America victus, quæ apud nos. Sed tenuis illorum ſubſtantia facile evaporat, unde continua quaſi refectione opus habent, præcipuè quodam potu, quem vocant *Chocolate*, ita ut ne quidem in Templis & inter Sacra eo abſtinere poſſint, conquerentes ſe in animi deliquium lapſuros, niſi illo ſubſidio vires ſuſtentarent.

Europæis cum his nationibus actu-
ris

ris imprimis diſſimulanda eſt avaritia & auri fames. Quippe poſtquam hoc deprehendunt vel opes ſuas locis occultis abſcondunt, vel ad vim ſeſe parant, haud facile placandi, poſtquam ſemel ſuſpicionem vel odium conceperunt, idque Hollandis præcipuè impedimento fuit, quo minus ope Chilenſium argentifodinas Potoſianas occuparent. Atque hæc de America quoque dixiſſe ſufficiat. Nam quod terram Auſtralem ſpectat, illa adhuc incognita eſt, adeoque ejus nulla ratio haberi poteſt.

DE POLITICA RATIONE GENERIS HUMANI.

Hactenus quaſi materiam ſtruendæ Reip. ex quatuor orbis partibus coacervavimus, quæ cum ſit rudis indigeſtaque moles, opus eſt, ut accedat ordo & diſpoſitio. Nam ſicut ex lignis, lapidibus, arena ac calce in acervum aliquem conjectis non fit ædificium, ſed accedat oportet architecti ingenium & manus, quæ omnia apte & ſecundum artem coagmentet: Ita illa hominum multitudo ſtare & conſiſtere non poſſet ſine ordine & mutua partium pro-

portione. Ante omnia igitur ex humano genere tollenda fuit *æqualitas* tum bonorum tum perſonarum. Ea enim data ſtatim ſequitur diſſolutio corporis Politici & ille ſtatus quem vocant *Anarchiam*, cujus ne quidem inter bruta animalia datur exemplum. Omnia enim animalia ſuam inter ſe habent & poſſeſſionum & dignitatum quandam differentiam. Ita caper quam maxime ſpectabilis, dux ſui gregis eſſe ſolet. Formicæ habent in ſua Rep. diſtincta officia & gradus. Cervus cui maxime diffuſa cornua reliquum agmen ducit. Generoſiſſimo Leoni minores ſubſunt. Inter equos prout quiſque generoſior eſt, eò magis primatum & præcedentiam affectat. Sed nil ad humanum imperium propius accedit quam Apum Reſpublica. Regem illi eligunt non ex vulgo, ſed maxime ſpectabilem, diſponunt excubias, habent ſingulæ certas & aſſignatas domus, & omnia denique tanto ordine agunt, ut etiam humanam ſocietatem ſuperare videantur.

Eſt ergo *origo* Politiarum *naturalis*, adeò quidem ut etiam in ſtatu integritatis futuram fuiſſe Politiam, ſive diſtin-

ſtinctionem graduum probabile ſit; cum indubie etiamſi inter homines ſtatuatur æqualitas & communio bonorum, ipſe tamen Deus immediatè Legiſlator & Gubernator fuiſſet. Sed poſtquam genus humanum fuit corruptum, tum demum neceſſitas abſoluta Politici regiminis invaluit, cætera enim animantia non niſi ductum naturę ſuæ ſequuntur,& ſingula non plus nocere poſſunt, quam habent virium. Solus autem homo eſt compendium brutorum omnium. Nam habet Leonis fortitudinem, Vulpeculæ aſtutiam, Aſini patientiam, Tygridis ferociam, equi ſuperbiam, paſſeris laſciviam, Gulonis ingluviem, Elephanti robur, apum avaritiam, formicarum diligentiam,aquilæ rapacitatem,atque ita quæ in ſingulis animantibus ſparſim reperiuntur in ſolum hominem cuncta confluxerunt. Et cum tantæ ſit artis ac difficultatis gubernare equos, domare Leones & Elephantes, quis non videt, homines in officio continere rem eſſe difficillimam.

☞ Ergo cum initio homines in familias diviſi patrio imperio regerentur, mox *Kain* occiſo fratre & ſpreta patria

poteſtate, ſeceſſionem fecit, ac civitates & Politias condere cœpit. A quo tempore originem traxerunt omnia illa, quæ ad vitam civilem ſpectant. Sed ut ad ipſam rem proprius accedamus. Sicut *Geographia* ſuppeditat *materiam* ſeu corpus Rerump. ita *Politica* addit *formam* & animam. Materia ſunt corpora multa, non Phyſicè ſed Politicè ſpectata, qualia corpora ſunt familiæ, pagi, oppida & civitates. Quæ omnia corpora certis legibus coagmentata confuſæ multitudini opponuntur. Formam addit Politica quæ quidem in tribus præcipuè partibus conſiſtit, *Majeſtate, Legibus* & *utilitate*. Unde etiam patet, quænam Reſp. ſint unæ & quæ diverſæ; ubi enim eadem Majeſtas, eædem leges & eadem utilitas, ibi eſt una Reſp. ubi autem hæc ſunt diverſa & varia, ibi ſunt quoque diverſæ Reſp.

Tota Reſp. conſiſtit in duabus partibus, in *Magiſtratu* & *Subditis*, adeo ut omnis in Rep. vivens ad alterutram claſſem vel Magiſtratuum vel Subditorum referri debeat. Cæteri autem ſunt vel *peregrinantes*, qui non diu in uno loco ſubſiſtunt: vel *errones* ac vagabundi, adeoque idem ferè quod in cor-

corpore humano pediculi aut pulices, non pars ſed vexatio corporis.

DE MAGISTRATU ET SUBDITIS.

Magiſtratus in genere eſt is qui imperat ſive abſolutè vel pro arbitrio, quales Magiſtratus principio rerum nullis adhuc latis legibus fuerunt, cum arbitria Principum pro legibus erant, vel limitatè ſecundum certas leges & conſtitutiones Reip. quod quidem regimen quam maxime cum natura humana concordat. Omnis Magiſtratus eſt vel *Electivus* vel *violentus* vel *ſucceſſivus*. Electio omnium antiquiſſima & communiſſima habetur & in Ariſtocratia & Democratia perpetuò obtinet, rarius in Monarchia, cum qua etiam non adeò convenit. Magiſtratus *violentus* vocatur quando quis ſummam potentiam in alios non jure ſed vi invadit & exercet. Vocatur aliàs *Uſurpatio* & communiſſimo nomine *Tyrannis*, quam duplicem ſtatuunt, *ſine titulo* & *cum titulo*. Tyrannis *ſine titulo eſt* quando Magiſtratus nullo jure Remp. obtinet. *Cum titulo* quando Magiſtratus Rempublicam jure quidem obti-

net, ſed male gubernat. Magiſtratus *ſucceſſivus* eſt, qui à Parentibus ad liberos vel proximos agnatos, ſive unius tantum ſive utriuſque ſexus quodam quaſi hæreditario jure defertur. Sive ut Galba apud Tacitum loquitur. *Cum Reſp. unius familiæ hæreditas eſt.* Atque hic eſt Magiſtratus in genere. *Subditi* autem ſunt, qui Magiſtratui parent. Quemadmodum Senator ille Romanus, apud Tacitum *Dii* inquit *tibi Imperator ſummam rerum dederunt, nobis obſequii gloria relicta eſt.* Subditi autem ſunt duplices, vel *infimi* qui nullam partem Reip. gerunt. Vel *ſubalterni*, qui aliquos Magiſtratus inferiores gerunt, quales ſunt Quæſtores, Prætores, Conſiliarii, Syndici, Legati, & hi ſunt quaſi inſtrumenta Magiſtratus, adeoque Magiſtratuum manus, pedes, ora, oculi & aures. Datur etiam tertium quaſi genus hominum in Rep. qui vocantur *milites* quorum etiam quaſi diſtincta eſt quædam Reſp. peculiares Magiſtratus, atque Leges, ſingularia inſuper privilegia & immunitates. Atque huc etiam referri poteſt quintum genus hominum in Rep. nimirum *Academicorum* qui & ipſi peculiare

liare corpus conſtituunt. Reſtat ut videamus quodnam ſit illud vinculum, quo duæ hæ partes, Magiſtratus nim. & ſubditi mutuo connectuntur, ac cohærent. Videri queat miraculi inſtar infinitam hominum multitudinem vel paucis vel uni homini ſubeſſe, quorum interdum vel exigua vel nulla eſt virtus ac prudentia, præſertim cum homo ſit animal tam moroſum & intractabile, ac ipsâ libertate vel licentiâ nihil acceptius. Omnis igitur nexus inter Magiſtratum & ſubditos conſiſtit in ſpontanea ſubjectione ac mutuo imperantium & parentium, conſenſu. Niſi enim ſpontè ſubditi obediant, quis illos cogere aut in officio continere poſſit? Nam ſi circumſpiciant multitudinem ſuam ſtatim illud Percennii ap. Tacitum ipſis ſuggeritur. *Cur paucis Centurionibus, paucioribus Tribunis inſtar mancipiorum ſubjecti ſint?* Primaria igitur cauſa eſt *ſpontanea ſubmiſſio*, ad quam accedit ipſa neceſſitas, quandoquidem deprehenderunt Remp. ſine Rectore ſtare non poſſe, ac fruſtra ſæpè repetita libertas, care ipſis ſtat ſemperque durioribus conditionibus priſtinæ obedientiæ jugum ſubire coguntur.

 Pro-

Proverbium dicunt Hebræi: *Niſi eſſet poteſtas publica, alter alterum vivum deglutiret.* Quia igitur Reſp. ſine Rectore ſtare non poteſt, hinc neceſſariò dividenda fuit in duas claſſes, Magiſtratuum & ſubditorum. Mutuus igitur conſenſus inter imperantes & ſubjectos eſt illud vinculum, quô unitas & concordia Reip. conſtat & ſervatur, quo illæſo, vita & ſalus Reip. conſtat; abruptô, omnia ad interitum vertunt, non ſecus ac in corpore humano, ſi ſpiritus vitalis auferatur, corpus quoque & anima ſeceſſionem faciunt.

Atque hæc quidem per ſe ſatis manifeſta. Sed præcipuum artificium in eo conſiſtit, quomodo hoc vinculum inter Magiſtratum & ſubditos conſervari poſſit. Et varia quidem argumenta excogitarunt Politici. Inter quæ hæc ſunt præcipua. *Primum* quidem, *ſalus populi* ſeu totius Reip. Nam quamdiu & imperantes & ſubjecti in hoc tertio conveniunt, ut ſummum conſiliorum ac actionum ſuarum ſcopum habeant publicum commodum, rectè omnia habebunt, neque conſenſus abrumpitur. *Secundum*: Leges & *conſuetudines*. *Tertiū* communicatio *honorum* & Magiſtra-

giſtratuum. Atque hæc ſunt *Realia*, ad quæ ſi accedant virtutes Magiſtratuum & Subditorum *perſonales*, nimirum pietas, prudentia, temperantia, clementia, promptitudo, fortitudo in bello, vix fieri poterit, ut talis Magiſtratus à ſubditis non ametur. *Amor* autem eſt firmiſſimum concordiæ vinculum, & nullo animi hominum glutine fortius connectuntur quam amore & mutua benevolentia. Sed eſt adhuc aliud, quod hanc concordiam vehementer promovere poteſt, nim. ſtatus Reip. felix, & florens. Plerumque enim homines ex utilitate omnia æſtimant, adeoque felicitatem vel adverſitatem temporum ſuorum Magiſtratui adſcribunt, ac illorum culpa adverſos caſus evenire judicant. Sane *Mexicani* in America hoc in Regibus ſuis veluti debitum quoddam exigebant, ut fertilitatem agrorum, victoriam ab hoſtibus & omnia denique proſpera Regno ſuo conciliaret. Indignum aliàs, quod imperaret, æſtimantes, niſi etiam Remp. poſſet reddere felicem. Ita *Angli* non alio fortius argumento ad *Eliſabetham* ſuã amandam fuerunt impulſi, quam felicitate temporum, quam ipſius potiſſ.
pietati

pietati & fortunæ acceptum ferebant. Ita cum *Auguſto* Romani egerunt. Si igitur ſit aureum ſeculum & abundantia, facilè promptus erit ad ſerviendum populus. In univerſum igitur ſtudioſè amolienda ſunt omnia, quæ Magiſtratuum apud Subditos odium & metum conciliare poſſunt. Secundum illa vulgaria, *Quem metuunt, oderunt; quem quiſque odit, periiſſe expetit.*

DE MAJESTATE.

Sicut Reſp. ex Imperantibus & parentibus conſtat, ita etiam ſunt duo ſuprema privilegia, ad quæ in Rep. omnia referuntur. Majeſtas nimirũ & Libertas. *Majeſtas* eſt illa prærogativa, quam Magiſtratus in ſubditos ſibi adſcribunt. *Libertas* eſt privilegium, quod ſubditi contra Majeſtatem Magiſtratuũ ſibi depoſcũt. *Majeſtas* vult omnia ſibi eſſe licita. *Libertas* vult, quædam Magiſtratui non eſſe licita. Ita perpetua quaſi pugna inter majeſtatem & libertatem conſpicitur, atque hæc duo interdum magis inter ſe pugnant quam aqua & ignis, præſertim ubi utrinque pertinacia accedit, ac Magiſtratus nil de majeſtate, ſub-

ſubditi nihil de Libertate remittere volunt. Unde Tacitus, *Principatum*, ſub quo *majeſtas* intelligitur, & *Libertatem*, res vocat *inſociabiles*; & ſane maximæ artis eſt, hæc duo ita conjungere, ut neutra lædatur.

Majeſtatis proprium Emblema eſt, *Sic volo ſic jubeo ſtat pro ratione voluntas.* Adeoque pro ſupremo ſcopo habet, *legibus eſſe ſolutum* ac inprimis irrefragabilem, quod Græci peculiari voce appellant ἀνυπεύθυνον. Præcipue majeſtas vult eſſe exemta ab omni judicio, neque ad rationem factorum reddendam adigi, ſed ſoli Deo eſſe obnoxia. Contra vero *libertas* vult exempta eſſe ab omnibus oneribus, niſi in quæ ſua ſponte conſentit, & ubique cum majeſtate quaſi quendam concurſum habere, neque pati ut contra privilegia & immunitates populi aliquid agatur. Ac ſæpe quidem hæ conteſtationes adeo incaleſcũt, ut vinculũ illud Reipublicæ concordiâ inter magiſtratum & ſubditos diſſolvatur, ac res in ſeditiones, tumultus & bella civilia erumpat. Quemadmodum inferius ſuo ordine commemorabitur.

Majeſtas igitur eſt illud, quod Itali *Signo-*

Signoria Galli *Souveraınite*, Hebræi *Sceptrum* vocant, ac in genere ſummũ Imperium ſignificat. Eſtque duplex, vel imperii vel imperantis, ſive realis vel perſonalis. *Realis eſt*, quæ cum Republ. naſcitur & ei eſt coæva, & ſemper durat, etiam ſub interregno. Et hæc conſiſtit in Legibus Regni fundamentalibus ac ipſo ſtatu, & ab ea dependet omnis majeſtas perſonalis, ita ut hæc majeſtatem realem tanquam ſuperiorem reſpiciat & agnoſcat & ab ea temperetur. Non enim majorem Majeſtatem poteſt habere Princeps, quam quæ illi legibus fundamentalibus conceditur.

Perſonalis majeſtas eſt ipſe Imperator vel Rex vel Princeps, aut ſtatus, ſuperiorem nullum agnoſcentes. Et hæc majeſtas non proprie conſiſtit in externa dignitate perſonæ, neque titulorum magnificentia, ſed in ſumma poteſtate, quæ ab alterius arbitrio haud dependet. Atque ita nil intereſt, quomodo quis appellatur, ſive Rex ſive Dictator aut Pontifex aux Dux, dummodo veram majeſtatem poſſideat. Tria autem eſſentialia requiſita ad majeſtatem requiruntur.

1. *Sum-*

1. *Summa* & *abſoluta* poteſtas, quæ ſolum Deum, nullos vero homines ſuperiores agnoſcat. Quo facit illud Lyjurini l. 6.

Nullum caput iſta ſuper ſe aſpicit excepto cœlorum Rege poteſtas.

Unde efficitur, ſummam poteſtatem à nullo ſuperiore dependere, quia alias non eſſet ſumma. Ac propterea hæc majeſtas adſcribitur *Dei Gratiæ*, quo tamen titulo etiam Principes Imperii utuntur, ſive ex ſpeciali quodam privelegio ſive quod revera in ſuis ditionibus jura majeſtatis obtineant, ſecundum illud. *Tantum poteſt Princeps in ſuo territorio, quantum Imperator in Imperio.*

Secundum Majeſtatis requiſitum eſt, *Perpetua poteſtas*. Neque enim ſufficit ſuprema poteſtas niſi etiam perpetua ſit. Nam qui ad breve aliquod tempus ſupremam poteſtatem exercent, illis proprie Majeſtas non convenit, quales fuerunt apud Roman. *Dictatores* & hodieque ſunt *Tutores* Regum & Principum, qui vocantur *Gubernatores*, *Protectores*, aut *Adminiſtratores*. Tales etiam in Imperio Germanico ſunt

ſunt tempore Interregni, duo Vicarii, *Palatinus* & *Saxo*.

Tertium requiſitum Majeſtatis eſt, quod ſit *poteſtas legibus ſoluta*, quæ tamen intelligenda eſt, de vi legum *coactiva*, non vero & *directiva*. Princeps enim etiam ſupremus rationi tamen naturæ ſubjicitur, neque ut brutum aliquod vivere poteſt. Atque huc pertinet vulgare illud: *Princeps eſt legibus ſolutus*. Quæ regula multas patitur exceptiones, neque ita abſolutè accipienda eſt quaſi nullis omninò legibus teneretur Princeps. Subjectus enim eſt legibus *divinis*, *naturæ*, *gentium*, & Reip. *fundamentalibus* ac *civilibus* quoque, quoad *obedientiam*, nõ vero quoad *pœnam*. Ideo ſi has leges violet in judicium vocari & ordinariis pœnis affici à judice non poteſt ſed ſolius Dei judicio ſubjacet. Atque hoc eſt præcipuum Majeſtatis privilegium, nulli actionum ſuarum niſi Deo reddere rationem. Hæc Majeſtas Perſonalis habet ſua quædam Regalia, per quæ ſeſe exerit ac oſtendit, atque hæc alias vocantur *Reſervata* vel *Prærogativæ*. De quibus vulgo dicitur: Hæc Reſervata oſſibus Imperatorum ita adhærere, ut ea nunquam

quam ab illis avelli poſſint. Et talia ſunt jus *vectigalium*,*cudendæ* monetæ', *edictorum* proponendorum,*proſcriptionis*, creandi *Principes* & *Reges* & alia multa. Quod vero & Principes Germaniæ talia Regalia exercent,id ex Imperatorum conceſſione & ſpeciali privelegio fit. Unde etiam illa per novam inveſtituram concedere ac confirmari ab Imperatore ſupplices petunt. *Regalia* igitur penes Imperatorem tanquam fontem ac ſcaturiginem ſunt, penes Principes vero uſu & exercitio. Unde in monetis ſuis ſemper effigiem ac nomen Imperatoris exprimunt.

Talis igitur Majeſtas & *realis* & *perſonalis* competit Regibus Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Daniæ, Poloniæ,Sueciæ. Etſi enim aliqui ex his plus minuſve circumſcripti legibus videantur, ac in quibuſdam ſuperiorem aliquem agnoſcant:Id tamen non fit reſpectu Regnorum,ſed tantum particularium caſuum quorundam. Ac notandum illud quoque in uno Regno aut in una Rep. non poſſe eſſe, niſi unam Majeſtatem, ſive illa ſit unius perſonæ,ut in Monarchiâ,ſive unius Collegii, ut in Ariſtocratia &Democratia agnoſcant. Et huc perti-

pertinet illud Taciti: *Unum eſſe Reip. corpus atque unius animo regendum.* Et illud Alexandri M. *Sicut mundus non poteſt duobus Solibus, ita Aſia neque duobus Regibus gubernari.* Quapropter jure reprehenſus fuit Legatus Regis *Daniæ* in Comitiis Ratisbonenſibus, quod dixiſſet, *ſe loco & nomine Regiæ Majeſtatis Danorum votum dare.* Quam dicendi formam director ferre noluit, dicens: *Nullam in Comitiis Majeſtatem præter Cæſaream agnoſci.* Unde ſecundum ſtylum Curiæ Germanicæ exteri Reges non *Majeſtatis* ſed *dignitatis* titulo afficiuntur. Quod vero Pontifex Rom. ſuperioritatem in Imperatores & Reges ſibi adſcribit, id nullo jure, ſed mero & injuſto facto contingit, ac ſemper ejus uſurpationi ſe oppoſuerunt ſupremi Principes. Quemadmodum Philippus Pulcher Rex Galliæ ad Pontificem reſcripſit: *Sciat tua maxima fatuitas, nos in temporalibus nulli ſubeſſe.* De Papa Rom. quatenus ut Princeps temporalis ſpectatur, quin ei tribuenda ſit Majeſtas, dubitari non poteſt. Sed de Duce *Venetorum* dubitatur, qui quidem externo habitu & pompâ imaginem Regiæ Majeſtatis præ ſe fert

fert,ſed deſtituitur tribus illis requiſitis, quæ ad Majeſtatem perſonalem requiri diximus. Præcipuum autem quo Majeſtas Duci Venetorum negatur,eſt hoc, quod ſubjectus ſit Legibus pœnalibus, ac à Conſilio capitis damnari poſſit; cujus rei exempla refert Johan. Bodinus de Republ. c. 2. l. 2.

Lex *Majeſtatis* extat in Epiſtola ad Romanos XIII contra qui peccat, dicitur committere crimen læſæ Majeſtatis. Quod quidem peccatum in Politica æque cenſetur *irremiſsibile* ac peccatum in Spiritum S.in Theologia.Ad crimem autem læſæ Majeſtatis requiritur, ut ſit in *ſummo* gradu & *directè* contra ſalutem Reipubl. vel vitam principis, aut illorum, qui ſummo Magiſtratu funguntur. Nam dantur etiam crimina contra Majeſtatem,quę ſunt levioris momenti, atque illa non debent pari pœna affici, qua crimen læſæ Majeſtatis punitur. Hic quæritur an *verba* etiam vel *ſcripta* crimen læſæ Majeſtatis conſtituant. Hæc quæſtio acriter diſputata fuit ſub Tiberio, de quo paſſim videri poteſt Tacitus. Propriè loquendo, *verba niſi* cum factis conjungantur & niſi, qui ea profert, ani-

animum lædendi habeat, non conſtituunt crimen læſæ Majeſtatis. Sicut Tacitus dicit ſub Auguſto factum. *Facta puniebantur, verba impune erant.* Atque huc pertinet illud exemplum Militis malè per ebrietatem de Rege ſuo loquentis, quod cum rationem verborum ſuorum reddere juberetur. *Imo vero* inquit *ô Rex etiam occidiſſemus te, niſi nos lagena defeciſſet.* Atque ita abſolutus fuit. Sed minime omniũ verba joco prolata ad Majeſtatis crimen detorquenda ſunt. Quod in Anglia ſub Eduardo IV. factum. Ubi mercator quidam capitis damnatus, quod ad plorantem filiolum dixiſſet: *Si tacueris coronam Regis tibi imponam.* Principi igitur aut ſupremo Magiſtratui danda eſt opera, ut non tantum conſervet ſed & augeat ſuam majeſtatem, quod quidem præcipue per hæc media fieri poteſt. 1. *Non lædere Majeſtatem aliorum.* Princeps igitur in alium ſibi æqualem principem non debet capitali ſupplicio animadvertere. Id quod præcipue exprobratum fuit *Carolo* Andegavenſi, Regi Siciliæ & Neapolis, qui *Conradinum*, & *Eliſabethæ* Reginæ Angliæ quæ *Mariam* Scotorum

torum Reginam capite plecti juſſerunt. Nam nil vehementius deſtruit majeſtatem, quam ſi legibus pœnalibus ſubjecta oſtendatur. Unde hoc à Politicis vocatur Tacitum Regni.

II. *Non omittere caput rerum* aut ſedem Imperii transferre Regibus Galliæ exitioſum eſt Lutetiam ; Angliæ Londinum, Turcarum Conſtantinopolin deſerere. Neque alia re Conſtantinus M. majeſtatem Imperii Roman. gravius læſit, quam quod ſedem ex urbe Roma Conſtantinopolin tranſtulit.

III. *Omnia dirigere ad famam & glorioſa utilibus præferre.* Atque huc pertinent illæ contentiones Principum de præcedentia, pro quâ etiam Legati armis inter ſe certant ſicut nuper Londini inter Hiſpanum & Gallum contigit.

IV. *In cultu corporis, miniſterio & aulâ magnificum eſſe ac ſplendidum.* Magnam jacturam majeſtatis ſuæ fecit *Ludovicus XI.* qui & in veſtitu & in miniſterio non tantũ negligens ſed & ſordidus fuit, ac ad legationes adhibebat tonſorem ſuum Olivarium. De quo videatur paſſim Philippus Cominæus.

V. *Le-*

V. *Legibus ſe ſubjectum fateri*, quod magnam juſtitiæ opinionem Majeſtati conciliat. Sic Imperator *Trajanus & Theodoricus* Rex Gothorum legibus ſe ſubjectos profitebantur. Ac Regis Galliæ nulla edicta pro ratis habentur, niſi authoritate Parlamenti confirmata. Atque hæc de majeſtate dixiſſe ſufficiat.

DE LIBERTATE.

§. 1. Sicut Magiſtratuum authoritas conſiſtit in Majeſtate, ita libertas ſubditorum eſt privilegium: libertas autem Politica proprie eſt libertas à coactione, qua populus cogi non vult ad actiones ſuæ conſcientiæ, corpori ac opibus contrarias.

§. 2. Cujus libertatis præcipua objecta ſunt tria. 1. Religio. 2. Vectigalia & Tributa. Nam cum Reſpublica eſt imperium in homines judicio & voluntate præditos, Omnes populi generoſiores ac cultiores eâ conditione ſupremum imperium Magiſtratui conceſſerunt, ut ſibi tamen hæc tria reſervarint. 1. Libertatem animæ ſeu Religionis, ne Principes conſcientiis imperare & ad hanc vel illam Religionem

nem cogere poſſit. 2. Corporis ac vitæ; ne Princeps jus vitæ ac necis pro arbitrio haberet. 3. Bonorum, ne Princeps tributa & vectigalia pro lubitu exigeret ſed ut cuique proprietas ſuorum bonorum & libera poſſeſſio relinqueretur.

§. 3. Cum igitur libertas Politica res tam prætioſas & quibus nihil homini carius eſſe poteſt, complectatur, hinc libertatis nomine nihil in vulgo gratioſius, eamque pertinaciſſime contra infractores tueri ſolent, ac populus nunquã majore furore ad arma ruunt, quin quotieſcunque de libertate ſuã agi putant. Hinc illæ voces, vivere in libertate, vel ante ſervitutem mori.

§. 4. Fundamenta hujus libertatis ſunt duo. Unum generale omnibus; id eſt ſalus populi. Alterum ſpeciale leges cujusque Reipublicæ fundamentales, & compactata inter Principem & populum. Sic in Germania fundamentum libertatis eſt Aurea Bulla, Tranſactio Pæſſavienſis, & Pax Monaſterienſis. In Brabantia hæ leges vocantur lætus introitus in quas jurare novus Princeps tenetur. Vulgò & in

genere ſunt Privilegia ſingulorum populorum & civitatum.

§. 5. Sicuti autem Majeſtas Principû, ita & libertas populorum ſuam habet latitudinem ac gradus, nec apud omnes eadem reperitur. Quidam populi reſervarunt ſibi totam libertatem, & Magiſtratui nihil niſi nudum titulum reliquerunt, quales ſunt Democratiæ & Regna Poloniæ & Daniæ, ante ultimam hanc mutationem. Quædam nec totam libertatem nec totam Servitutem amplexi ſunt: quod imprimis Tacitus in antiquis Germanis obſervat, quorum Reges potius habuerunt authoritatem ſuadendi, quam jubendi poteſtatem. Ita profitetur Ambiorix apud Cæſarem lib. 3. de Bell. Gallico ejusmodi eſſe Principum per Galliam imperia: ut non minus in ipſos juris multitudo, quam ipſi in multitudinem habeant. Quidam populi totam fere libertatem abdicarunt, ac Regum arbitrio ſe ſubjecerunt. Quales hodierni Galli, apud quos vix umbra vel veſtigium libertatis ſupereſt. Unde Rex Galliæ, vocatur Rex Aſinorum.

§. 6. Quotiescunque Majeſtas & libertas inter ſe diſcordant tum alia emer-

emergunt nomina, nimirum Tyrannis & Rebellio. Supremus Magiſtratus illos, qui ſe ipſorum Majeſtati opponunt per vim, vocant Rebelles. Subditi contra ſuos Magiſtratus, injuſta imperantes & libertatem ac privilegia infringentes, vocant Tyrannos: igitur paucis exponendum eſt, quid ſit Tyrannis, & quid ſit Rebellio.

DE TYRANNIDE.

1. Tyrannis in genere vocatur ſtatus Reipublicæ violentus. Forma autem ſive anima Tyrannidis in eo conſiſtit, quando ſupremus Magiſtratus omnia non ad Reipublicæ, ſed ad proprium commodum refert, adeoque Rempublicam propter ſe, non vero ſe propter Rempublicam eſſe putat. Diſtinguendum igitur eſt inter Tyrannum & Tyrannicum Magiſtratum. Poteſt quis eſſe Tyrannicus, id eſt flagitioſus Princeps, crudelis, avarus, ſcortator, exactor, contemptor Dei, perjurus, injuſtus, quæ quidem omnia malum principem conſtituunt, ſed tamen nondum abſolvunt Tyrannum, quippe inter hæc omnia vitia, quæ potius perſonalia ſunt, quam publica nihilo-

minus ſummam Reipublicæ bene adminiſtrare poteſt.

Quapropter Ariſtoteles in Politicis recte docuit. Ad Tyrannidem aliud quid præterea requiri, nimirum id quod diximus, quando Reſpublica in privatum commodum vertitur.

2. Vulgaris diſtinctio eſt, Tyrannos eſſe duplices, ſine titulo & cum titulo. Tyranni ſine titulo vocantur, qui Rempublicam nullo jure neque electionis neque ſucceſſionis, ſed per meram vim obtinent. Atque hi alias vocantur invaſores vel uſurpatores. Tyranni cum titulo appellantur, qui Rempublicam legitimo quidem jure poſſident, ac juſtum titulum habent, ſed eam Tyrannice adminiſtrant.

3. Non eſt autem eadem ratio Tyrannidis apud omnes populos, ſed qui apud hos eſt Tyrannus, is apud alios eſſet optimus princeps e. g. Muſcovitæ, Turcæ, Perſæ & tota fere Aſia tyrannice gubernatur, & hoc tamen apud illos populos eſt juſtum & legitimum, quippe qui ignorant, quid ſit libertas, adeoque ſervituti ita ſunt aſſueti, ut moderata imperia ferre non poſſint. Ubi autem non eſt habitus, ibi non

non poteſt eſſe privatio. Ubi non eſt libertas, ibi non poteſt eſſe Tyrannis. Dantur tamen ibi Tyranni ſine titulo.

4. Tota autem doctrina de Tyrannide unicâ quæſtione abſolvitur, An & quatenus ſubditis liceat reſiſtere Tyranno? Ad hanc quæſtionem diverſimode reſpondetur à Politicis. Quidam abſolute negant, ita quidem, ut nulli Tyranno reſiſti debere, multo minus Regno ſpoliari ſeu occidi, ne Caligulam aliquem aut Neronem affirmant. Quam ſententiam nuper copioſe propugnavit Claudius Salmaſius in Defenſione Regia. Alii abſolute & univerſaliter affirmant licitum eſſe Tyrannos Regno & vitâ ſpoliare, idque à quovis privato bonâ conſcientiâ fieri poſſe. Quam ſententiam in genere tenent Jeſuitæ, & ſpeciatim tuetur Johannes Mariana lib. 1. de Regis inſtitutione cap. 7 & 8.

Inter hæc duo extrema alii mediam ſententiam ſectantur, ac in certis caſibus Tyrannis reſiſti poſſe eoſque Regno exui. Sed an etiam accuſari, condemnari, & capite plecti poſſint, id adhuc ambiguum relinquunt, ac plerique in negativam magis inclinant Sed

hæc quæſtio plerumque non diſputatur jure ſed facto, non legibus ſed armis ideoque non tam videndum eſt, quid interdum fiat, quam quid fieri debeat.

Id in univerſum ratum eſſe debet, nulli privato concedi ullam poteſtatem in Tyrannum, adeoque doctrinam Jeſuitarum multis Principibus exitioſam fuiſſe.

Quemadmodum Henricus III. & IV Reges Galliæ, ac Wilhelmus Princeps Auriacus à ſicariis privatis propterea fuerunt obtruncati, quod à Jeſuitis pro Tyrannis haberentur, ac deſperatis quibuſdam & melancholicis hominibus eos interficere licitum perſuaderent. Quemadmodum ſimiles inſidiæ ſæpius ſtructæ fuerunt Eliſabethæ & Jacobo Regibus Angliæ.

DE REBELLIONE.

1. Quemadmodum vitium Majeſtatis conſiſtit in Tyrannide, ita libertas corrupta degenerat in Rebellionem. Eſt autem Rebellio armata factio ſubditorum ſummo Magiſtratui violenter ſe opponentium, & ipſi leges & conditiones præſcribentium: duo igitur

tur requiruntur ad naturam Rebellionis. Primum ut ſuſcipiatur ab inferioribus contra ſuperiores. Deinde ut armis ac violentiâ ſupremo Magiſtratui refragrentur. Plerunque autem tales rebelliones plura habent capita, quæ in unum quaſi faſciculum conjurant, ac magno impetu ſed nõ diu duraturo, res ſuas aggrediuntur. Sed ubi primus ille furor præteriit, mox languent, ac mutuâ diffidentiâ ſe invicem ſuſpectant. Atque hoc fere in omnibus hiſtoriis obſervatum; quidquid fortuna initio rebellibus blandiatur, nullo tamen eos niſi infelici ſucceſſu frui. Rectiſſime comparantur celſiſſimis montibus, qui cœlo minitari videntur ſublimi vertice, quos tamen fulmina Majeſtatis brevi opprimunt, ac confringunt.

2. Rebellio præcipue fundatur in ſpecioſis prætextibus ac plerumque Religionem, ac libertatem populi pro vexillo habet. Tum peccata aulicorum, ac qui præcipua apud imperantes ſunt authoritate, copioſam ſuppeditant querulis materiam conquerendi de vitiis Reipublicæ, atque ita populum ad arma concitandi; Quo ſemel commo-

to difficile eſt, eos intra ullos modeſtiæ aut obſequii limites continere. Sed illud accidere ſolet quod Vergilius lib. 9. Æneidos de Mezentio dicit

Ergo omnis furiis conſurgit Hetruria juſtis
Regem ad ſupplicium præſenti morte repoſcunt.

Neque facile expleri poſſunt deſideria multitudinis indulgentia, aut conceſſione illorum quæ deſiderant, ſed creſcit fere illorum audacia ex ſucceſſu. Ac ubi ſemel cognoverunt, cogi poſſe Magiſtratum per vim ac minas, nullum finem poſtulatorum faciunt aut modum. Neque unquam ipſis largiendo ſatisfieri poteſt.

3. Ubi vero à Principe in anguſtias rediguntur metu pœnæ, facile eo delabuntur, ut externa auxilia implorant, atque ita malint perpeti peregrinam dominationem, quam legitimi Domini graviora ut conquerentur dominia perferre. Sicut Rupellani ſuperioribus annis Anglorum auxilia evocaverunt.

4. Sed præcipua vis Rebellionis in idoneo capite & Duce conſiſtit, qui eſt quaſi anima monſtroſi illius

lius corporis, quem ſi ex ſententia non nanciſcantur, qui ſuâ dexteritate illam confuſam multitudinem regere poſſit, & blanditiis pariter ac ſeveritate in officio continere, magnum ſine dubio periculum à tali rebellione imminet, præſertim ſi talis Dux illuſtri familiâ ortus, magnis cognationibus ſuffulciatur, ac rerum geſtarum magnitudine famam ſibi ac auctoritatem apud vulgus conciliarit.

5. Atque hæc fere ſunt mala Rebellionis, contra quæ, his imprimis remediis inſtructus debet eſſe ſummus Magiſtratus. Primum, ut Rebellio in ortu opprimatur. Quam primum vero leviſſima indicia tumultuum ſe aperiunt, quæ fere ſunt quærelæ de mala adminiſtratione Reipublicæ: Libelli ſupplices; declarationes, manifeſta; clandeſtina conventicula: cuſtodia oppidorum adverſus Principis voluntatem; abſque ullâ morâ, veluti ad incendium aliquod reſtinguendum, accurri debet. Quippe Rebelliones viperarum naturam repræſentant, & in ortu facillime ſuffocantur, adultiores factæ, damnum inferunt. Hic præcipue locum habet illud vulgare

Principiis obſta ; ſerò medicina paratur
Cum mala poſt longas invaluere moras.

Quod ſi vero ſtatim ſub initio opprimi non potuit Rebellio, ſed eò jam invaluerit, ut in manu habeat arma & præſidia. Tunc aliquâ cunctatione & per legatos, ac de pace tractatus, promiſsâ etiam venia & oblivione ſunt demulcendi, ut ita primus Rebellionis impetus qui ſolet eſſe acerrimus, paulatim quaſi mitigatur, vel arte quâdam eludatur. Præcipuè autem corrumpendi ſunt Duces ac capita factionis, ac, quantum fieri poteſt clandeſtinæ ſuſpiciones inter eos concitandæ, ut mutuò ſibi diffidant, adeoque paulatim diſſolvantur.

DE REGULA VIVENDI IN REPUBLICA.

1. Cum igitur Rèſpublica conſtet ex duabus illis partibus Magiſtratu ac ſubditis, ſequitur ut nunc oſtendamus quales illorum debeant eſſe actiones. Cum enim Reſpublica ſit Societas hominum, homines autem regantur ratione & intellectu, omninò debet eſſe aliqua

aliquą norma ſive regula, ſecundum quam actiones humanæ examinentur, aliàs enim Reſpublica nihil aliud eſſet, quam Societas Cyclopica, aut Braſiliorum congregatio. Duæ autem præcipuæ ſunt regulæ humanarum actionũ, Religio & lex. Quarum illa animum, hæc corpus reſpicit. Illa quæ Deo, hæc quæ Cæſari debentur.

DE RELIGIONE.

1. De Religione tria in univerſum apud Politicos diſceptantur. An, qualis & quotuplex eſſe debeat. Ac de prima quidem quæſtione, an aliqua debeat in Republica eſſe Religio? ſeu an Religio & cultus Dei ſit tantæ neceſſitatis, ut abſque eâ Societas politica conſiſtere nequeat? communis omnium populorum conſenſus in affirmationem conſpirarunt, ita quidem ut nulla tam Barbara natio reperiatur, quæ non Deum aliquem ac Religionem agnoſcat. Sed reperti tamen fuerunt Athei, qui omnem hanc de Religione materiam tantum pro commento humano habuerunt in eum finem à prudentioribus excogitato, ut rudem multitudinem metu numinis & pœna-

rum infernalium in officio continerent. Quam imprimis ſententiam propugnat Lucretius & hodie omnes illi ſectantur, quos Machiavelliſtas vocant.

2. Hæc pernicioſa opinio imprimis ex animis hominum eſt extirpanda, eâ enim ſemel admiſſa perit omnis ſocietas humana, ac horrendis ſceleribus janua aperitur. Quapropter etiam ſemper profeſſi Athei capitali ſupplicio affecti fuerunt, quodque nuper in Galliâ accidit Cæſari Vanino. Et ipſi Ethnici Atheos ad nullum Reipublicæ munus admittebant.

3 Neceſſitas autem Religionis ita demonſtratur, Ubi nulla Religio, ibi nulla fides: ubi nulla fides, ibi nulla fœdera & pacta: ubi nulla fædera & pacta, ibi nulla Reſpublica. Probatur quia omnia fœdera & pacta confirmantur juramento. Juramentum eſt religioſa invocatio Dei, tanquam Vindicis perjuriæ. Si ergo nulla eſſet Religio, nullum etiam eſſet perjurium, ideoque liceret impunè fallere. Secunda ratio hæc èſt. Quia ſæpe in Republica tales accidunt caſus, qui non niſi Religione expediri ponunt. E. G. Cum contra hoſtem

hoſtem longè potentiorem eſt pugnandum, ſic ut nulla ſpes in humanis viribus ſuperſit, tum à ſola Religione petendum eſt auxilium, ac militi perſuadendum, non in multitudine exercitus, ſed de cœlo victoriam eſſe. 2. Paralipp. 26. Ita Iſraelitæ ſuperant Amalechitas precibus Moſis Exod. 17. Et, huc ſpectant jejunia & ſolemnes preces in graviſſimis Reipublicę calamitatibus, quæ omnia maximam vim in deſperatis rebus habere ſolent. Concludimus igitur Religionem in Republica abſolutè eſſe neceſſariam, ac illâ ſublatâ deſtrui humanam ſocietatem.

4. Secunda quæſtio eſt. Qualis in Republica, Religio eſſe debeat? De hac quæſtione neque Theologi neque Politici hactenus per omnia convenire potuerunt, cum non tantum varias, ſed etiam contrarias Religiones paſſim introduxerint, unde infinita illa Deorum & Ceremoniarum multitudo. Sed nos breviter duo ſumma capita proponemus, quæ ad Religionem in Republica requiruntur. Primum eſt, notitia unius & omnipotentis DEI, à quo, tanquam ſupremâ cauſâ, omnes res humanæ dependeant ac regantur. Non

enim ſufficit ad Rempublicam conſtituendam credere tantum eſſe aliquem Deum, niſi idem quoque res humanas curet, ac ſuâ providentiâ dirigat, adeoque requiritur, ut credat multitudo, unum eſſe regnatorem omnium Deum, ut Tacitus lib. 5. Hiſt. loquitur. Secundum eſt, unum illum Deum eſſe colendum. Cultus igitur Dei eſt veneratio certis legibus ac ceremoniis devincta. Atque hæc æquè neceſſaria eſt, ac ipſa notitia Dei. Nam non ſufficit credere tantum eſſe aliquem Deum, id quod etiam Diaboli faciunt, ſed inſuper requiritur ejuſdem veneratio ac cultus, ac ab eo ſucceſſus in Republica dependent. Quemadmodum Livius lib. 5. de Romanis teſtatur: Omnia proſpere eveniſſe colentibus Deum adverſa ſpernentibus. Ac Cicero 5. in Verrem, Omnes, inquit, Religione moventur, & Deos patrios, qui à majoribus acceperunt colendos ſibi diligenter ac retinendos arbitrantur. Cultus autem divinus eſt duplex, internus & externus. Internus conſiſtit in ipſo animo. Externus per ritus & geſtus corporis exprimitur, atque huc præcipuè ſpectat cultus ille ſoli Deo debitus, quem

quem adorationem vocamus. Atque hæc religio externa innumeris circumſtantiis per orbem terrarum variata conſpicitur, ſingulis fere populis peculiares ritus, ac ceremonias ſectantibus.

5. Sed, ut omnia in compendium redigamus, quæ de hac materia dici poſſunt. Quatuor hodiè magnæ Religiones in orbe terrarum reperiuntur. Religio Ethnica, Judaica, Chriſtiana & Mahumetana.

Religio Ethnica, nuſpiam hodie in Europa reperitur, niſi fortaſſe in extrema Finmarchia ac Lapponia, quanquam etiam illi populi â Danis & Suecis noſtro tempore aliquam notitiam Chriſtianæ Religionis acceperint. Sed Religio Ethnica præcipuam ſedem hodiè habet in India, China, & Japponia. Liber autem, quo deſcribitur Religio Ethnica ab Indis vocatur Vedan, cujus apud ipſos æque magna eſt auctoritas, ac apud Chriſtianos Bibliorum, & apud Mahumetanos Alcorani.

Religio Judaica cum Judæis per totum orbem diſperſa nuſpiam conſtituit ullam Rempublicam, ſed omnibus quas immixta deliteſcit. Atque hæc unica in orbe terrarum natio eſt, quæ quam-

quamvis ſit numeroſiſſima, ſingulari tamen Dei judicio, nuſpiam terrarum poteſt coaleſcere in unum Reipublicæ corpus, ſed tum à Gentibus, tum à Chriſtianis & Mahumetanis opprimitur. Judaica Religio continetur in Libris Moſes & Prophetarum Hebraice ſcriptis, ac in Thalmud & Rabbinorum Commentariis.

Religio Chriſtiana propriam ſuam ſedem habet in Europa eaque continetur in Vet. & Novo Teſtamento.

Religio Mahumetana ſedem ſuam habet in Aſia, atque inde per magnam partem Europæ & Africæ diſpergitur. Liber quo continetur vocatur Alcoranus. Atque hæ ſunt quatuor illæ magnæ Religiones, quarum in Politica ſolet eſſe uſus, & inter quas fœdera, pacta, bellum, vel pax & alia commercia intercedunt. Unde ſingulæ ſuos libros tanquam fidei teſtes adjurare ſolent. Ethnici jurant per Vedan, Iudæi per Thora ſive Legem: Chriſtiani per Evangelium, & Mahumetani per Alcoranum.

Sed hîc quari ſolet; An ergo Chriſtianis liceat inire fœdera cum Ethnicis & Mahumetanis? Reſp. Omnino id

id eſſe licitum, quia, quam plurima extant exempla in Veteri Teſtamento, quod Iſraelitæ, cum Gentibus fœdera inive int. Sed diſtinguenda tamen ſunt fœdera. Quippe alia ſunt commerciorum, alia bellorum. De fœderibus commerciorum nullū dubium, quippe talia ſunt naturæ & gentium. De bellorum gravior dubitatio: An princeps Chriſtianus poſſit uti armis Gentilium. e. g. Franciſcus Rex Galliæ uſus fuit auxilio Turcarum contra Carolum V. & hodie Poloni utuntur Tartaris. Sed talia facta potius excuſantur neceſſitate, quam quod laudari poſſint. Deinde diſtinguenda bella defenſiva & offenſiva. Si pro defenſione noſtra his auxiliis uti cogamur, magis excuſari poteſt. Sed in bello offenſivo, quod ipſi aliis inferimus, & quod omittere in manu noſtra eſſet, tam deforme auxilium nullus Chriſtianus cum laude adhibet, aut Politicus defendet. Quanquam experientia oſtendit, talia auxilia damnatiora quam ſalutaria. Sic Britanni evocantes ex Germania Saxones contra Schotos & Pictos, ab ipſis auxiliaribus copiis non tantum libertate & vitâ, ſed etiam Chriſtiana Reli-

Religione ſpoliantur.

6. Tertia quæſtio eſt: Unane an plures in Republica Religiones eſſe debeant? Neceſſariam eſſe pluralitatem Religionum in unâ Republica, id quidem à nullo Politicorum unquam fuit affirmatum: videtur enim contra rationem & naturam id pugnare, ſi conſenſum habere poſſis, velle animos civium in varias ſectas dividere. Quanquam fateri neceſſe ſit, interdum pluralitatem Religionum Reipublicæ ſalutarem fuiſſe. Adeoque ſtatum ad aliquod tempus conſervaſſe. Quemadmodum nuper in Anglia accidit, ubi inter præcipua arcana novæ Reipublicæ habebatur, plurimas Religiones non tam tolerare, quam defendere ac propagare ſolâ excluſâ Papiſticâ & Epiſcopali, tanquam præſenti ſtatui inimicis. Sed hæc extraordinaria & caſualia ſunt.

7. Solent quidem Tyranni animos ſubditorum Religionibus dividere in eum finem, ut diſcordes, ſingulos eò facilius in officio continere poſſint, quorum aliàs conſenſus eſſet formidabilis, atque ita egit Julianus Apoſtata. Sed taliâ exempla non ſunt imitanda.

8. Ergo,

8. Ergo, ut ad ipſam rem deveniamus. Illud in confeſſo eſt, ſi fieri poſſit, unam tantum in unâ Republica Religionem eſſe exercendam. Quippe nihil eſt quod animos Civium arctiore vinculo connectat, quam idem de Deo ſenſus & eadem divini cultus forma. Eaque una Religio etiam debet eſſe vera. Sed hic reperitur infinita diſcrepantia hominum, quænam ſit illa vera Religio, quæ unice in Republica optari debeat. Namque inter homines tot ferè ſunt opiniones quot capita, quilibet ſuam Religionem & unicam & veram eſſe contendit, & alias tanquam falſas rejicit. Diximus autem ſupra, quatuor magnas per orbem terrarum eſſe Religiones, ſed nos omiſſis reliquis tribus de ſolo Chriſtianiſmo quantum ad Politicam ſpectat, commemorabimus.

9. Chriſtianiſmus igitur hodiernus dividitur in Religionem Græcam & Latinam. Græca Religio locũ habet in Imperio Turcico, in Ruſſia, Moſcoviâ, & in Ruſſia Nigra, quæ eſt juris Polonici, atque etiam Venetiis. Religio Latina locum in Occidente, ejuſque caput univerſale cenſebatur Papa Romanus

Romanus. Sed ſuperiori ſeculo hæc Latina Religio, in duas iterum partes fuit ſciſſa, in Proteſtantes & Romano-Catholicos. Proteſtantium exortus fuit Anno 1529. in Comitiis Spirenſibus. Sed hi Proteſtantes iterum in duas factiones diviſi, in Lutheranos & Reformatos. Sunt præterea adhuc magnæ Sectæ, nimirum Anabaptiſtæ & Sociniani. De his igitur Religionibus nunc quæritur. An harum omnium ſit permittenda libertas? an aliquarum? an verò unius tantum? Omnibus his Religionibus plenam libertatem permiſerunt Poloni, ad quos quam maxime acceſſerunt Batavi, exceptâ Socinianâ, quam, tanquam vitæ Chriſtianæ deſtructricem, & Atheiſmum recte docentē, hactenus gravibus edictis coërcuerunt. & deinde Pontificiâ, cui publicis conventiculis legibus quidem interdictum, ita tamen ut per conniventiam Magiſtratuum inferiorum illa paſſim magno numero exerceatur. In Gallia duæ tantum Religiones publicè exercentur, nactâ Libertate ex Edicto Nannetenſi Pontificia & Reformata. In Germania, tres nuper pace Monaſterienſi ſunt ſtabilitæ, Pontificia, Lutherana

therana & Reformata. Atque omnes hæ nationes propugnant pluralitatem Religionum in una Republica, eamque non noxiam, ſed utilem eſſe contendunt. Quippe nihil eſt,quod Rempublicam augere poſſit & numero Civium & abundantià divitiarum, quam ſi libertas Conſcientiæ & Religionis cuivis concedatur. Rationes autem in hanc rem præcipuæ hæ ſunt. 1. Quia ſolus Deus imperat Conſcientiis. 2. Quia fides non poteſt imperari. Et 3. Quia experientia oſtendit Religiones prohibendo creſcere: per tolerantiam negligi, ac decreſcere. Quod autem hoc dicitur de diſcordia inde metuenda, id planè contrarium experientià fuit deprehenſum. Nam tum demum oriuntur in Republicà diſcordiæ,quando perſecutiones contra conſcientias excitantur. Manſit Germania concors plurimis annis, quamdiu illa Religionum libertas inviolata manſit: at verò ea perturbatà, quantis bellis & vaſtitate concuſſa fuit. Idem in Gallia fieri videmus. Unam autem Religionem admittendam ſtatuunt Hiſpani, Itali, Dani & Sueci. Et Hiſpani quidem & Itali ſolam Religionem Romano-Catholi-

tholicam in Republicà admittendam cenſent, ac in diſſentientes graviſſimis pœnis ac ſuppliciis animadvertunt. In quem finem inſtituta fuit inquiſitio Hiſpanica, inventum ab ipſo Satana ex inferno in Rempublicam protruſum. Sed Rex Hiſpaniæ hujus ſui erroris graviſſimas dedit pœnas, quem tandem Batavi octoginta annorũ bello hanc regulam Politicam docuerunt. Conſcientias non eſſe opprimendas: neque Inquiſitionem Hiſpanicam eſſe idoneum medium conſervandæ concordiæ in Republica. Sueci autem & Dani, ſolam Religionem Lutheranam cenſent eſſe admittendam excluſis reliquis ita tamen ut privatum exercitium non impediant. Et hi particulares hujus facti habent cauſas.

10. Deciſio igitur hujus tam intricatæ quæſtionis in hic capitibus conſiſtit. 1. Una tantum eaque vera Religio in Republica optari ac promoveri debet, & quantum per licita media fieri poteſt varietas & multitudo Religionum eſt impedienda : ſed illa media non debent eſſe pœnæ corporales, quales ſunt exilia, carceres, graves mulctæ, multo minus ſupplicia capitalia

lia,quale præcipuum vivi comburium. Quippe Princeps Auriacus nullo vehementius argumento Belgas ad defectionem ab Hiſpanis impulit, quam quod diceret, eos homines propter Religionem vivos comburere.

Et in hac quæſtione ſe admodum imprudentem geſſit Iuſtus Lipſius, cujus inepta præcepta de una Religione videantur lib. 2. Polit. ejus Cap. 2. 3. & 4.

DE LEGIBUS.

Sicut Religio Sacra, ita Leges. Civilia dirigunt ac gubernant, adeo ut non minus Legum neceſſitas ſit in Republica, quam clavi in regenda navi. per Legem autem hoc loco intelligimus Regulam faciendorum & omittendorum, adeoque partes Legum ſunt duæ, Mandatum & Prohibitum. Et Lex obligat vel ad obedientiam vel ad pœnam. Anima autem legis eſt ipſa executio. Neque nunc opus eſt prolixè agere de diviſionibus Legum, quæ potius ſpectant ad Jurisprudentiam, quam ad Politicam. Sufficit in genere illa tantum tradere, quæ proprie ſpectant ad Leges Reipublicæ. Quales vocantur

cantur Leges Regni ſeu conſtitutiones fundamentales. Et tales quidem leges ſingulis populis ac Rebuspublicis ſunt peculiares. Alio jure utuntur Hiſpani, alio Galli atque Itali, & cæteræ nationes. Et quanquam hæ leges multum inter ſe cum jure Romano conveniunt, nefas tamen eſt ad alterius populi aut Romanas Leges in Regnis provocare. Adeò ut crimen læſæ Majeſtatis committatur, ſi quis in Gallia Leges Romanas, tanquam ſupremas citare velit. De Legibus Moſaicis imprimis quæritur, quantum illæ hodieque valeant, Chriſtianoſque obligent in genere. Leges Moſaicas diſtinguunt in Ceremoniales & Forenſes; & Forenſes iterum, in illas quæ ſunt perpetui Juris generales & immutabiles, & quæ fuerunt ſpeciales ſolis Judęis, ipſorum ſtatui, ac Reipublicæ accommodatæ; Quales ſunt Leges de hæreditatibus, conjugiis, ſervitutibus; & aliis. At de prioribus conſentiunt, eas hodieque Chriſtianos obligare: quales ſunt Leges de homicidio, adulterio. Sed unica occurrit difficultas, quid igitur ſtatuendum ſit de pœna furti. Notum enim eſt eam Legibus divinis haudquaquam fuiſſe

fuiſſe capitalem; cum tamen hodiè omnibus legibus civilibus pœna furti ſit ſuſpendi. Sunt ſanè haud pauci, qui propterea leges civiles injuſtitiæ accuſant, adeoque furibus gravem injuriam fieri ſtatuunt, quod, cum nulla ſit proportio inter opes & vitam, ipſis tamen interdum ob exiguam rem vita eripiatur. Sed Politici hanc excuſationem afferunt, quod creſcentibus delictis etiam pœnæ debent creſcere. Eſſe autem hodiè longè majorem copiam furum, quam olim, adeo ut niſi pœna capitali abſterreantur, vix quiſquam ſuas res ab illorum rapacitate cuſtodire poſſet. Sed hæc excuſatio non ſufficit, ideoque apud cultiores populos pœnà furti rarò ſolet eſſe capitalis, ſed plerumque virgis vel alia pœna leviori coërcentur.

Fundamentales autem Reipublicæ leges vocantur, quæ jura tam imperantium quam ſubjectorum & totius Reipubl. ordinem ac formam externam complectuntur. Et talis Lex Fundamentalis in Germania hodiè eſt Aurea Bulla, condita à Carolo IV. circa annum 1354. quæ veluti Sacrum ac inviolabile pignus, Imperium Germa-

nicum hactenus ſalvum conſervavit. Acceſſerunt poſtea Tranſactio Paſſavienſis, quâ imprimis paci Religionis fuit cautum, & noſtrâ memoriâ Pax Monaſterienſis, quæ recentiſſima Imperii Lex Fundamentalis habetur. Ac tales Leges Fundamentales ſupremus Princeps haud quaquam violare poteſt, ſed illas ſe ſervaturum, juramento adſtringitur, ita quidem ut alicubi etiam Imperio exeat, ſi illas leges violare & abolere conetur. Atque hæc cauſa fuit, cur Belgæ ab Hiſpanis defecerũt, quippe conquerebantur ſuas leges fundamentales, quas tamen ſe ſervaturum Philippus juraverat, multis modis infringi, ac aboleri. Quapropter imprimis periculoſum Principibus eſſe ſolet, ſi legibus Regni aliquam vim facere conantur. Sicut enim Templum Dagonis concidit poſtquam Samſon duas ejus columnas evertiſſet, ſic etiam Reſpublica ſtare non poteſt, cujus leges fundamentales concutiuntur. Atque hæc in genere de Legibus Rerumpublicarum dixiſſe ſufficiat. Sequitur nunc, ut ad nervum Reipublicæ, id eſt opes ſeu reditus accedamus.

DE

DE OPIBUS, VEL REDITIBUS REIPUBLICÆ.

1. Ex hac igitur inter Magiſtratus & ſubditos legitimà ſocietate, tanquam ex fonte aliquo profluunt publicæ opes, quæ ſunt nervi & ſanguis corporis Politici. Non enim ſufficit privatos eſſe opulentos, niſi ipſa quoque Reſpublica opibus abundet, non ad neceſſitatem tantum, verùm ad ſplendorem, adeò quidem, ut de præſtantia Regnorum & Rerumpublicarũ ex magnitudine Redituũ judicetur. Nam qualis ſit ſtatus, ſive pacatus, ſive turbatus, ingentes opes ad illam ſuſtentandam requiruntur: ſed maximè in bello, tunc enim obtinet illud Taciti lib. 4. Hiſt. Nulla quies Gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt.

2. Noſtro tempore omnia alia Regna magnitudine opum ſuperat Gallia, cujus annui reditus ad Centum Quinquaginta Milliones aſcendunt. Sexaginta Milliones conſumuntur in aula Regis & ſtatu interno. Octoginta fere Milliones conferuntur in uſum belli.

Et tamen hæ immenſæ opes propter rapacitatem Miniſtrorum non ſufficiunt, ſed immane æs alienum inſuper contrahitur. Proximum poſt Galliam locum obtinet Hiſpania, cujus præcipui reditus ex fodinis Americanis petuntur. Sed ipſa quoque Hiſpania, quæ totum orbem auro & argento implet, magnà tamen paupertate & inopià laborat: ita quidem, ut Rex Hiſpaniæ toties præ magnitudine debitorum foro ceſſit, ac creditores ſuos fraudare coactus fuit.

3. Omnis igitur cura & ars Politicorum in hoc conſiſtit, ut novos Tributorum modos excogitent, quibus ærarium quam minimo populi ſenſu ac damno augeatur. Ac conſtituunt etiam publica præmia illis, qui inauditos hactenus exactionum rationes inveniunt, qua arte reliquos populos ſuperant Belgæ.

4. Communia vectigalia fere proſiſcuntur ex ſalinis: metallis, & rebus conſumptibilibus. Vectigal Salinarum hodiè præcipuum eſt in Gallia, cui Regis ærarium innititur. Hiſpanià præcipuè & Metallorum copia ac præſtantia diteſcit, præſertim Mons Potoſi

ſi in Peruvia infinitam copiam argenti effundit. Proventus Belgarum ferè dependent ex rebus conſumptibilibus, quæ vectigalia vocantur *Acciſen* Belgicè. Atque hæc vectigalia quotannis pro certa pecunia privatis quibuſdam elocantur, ita & Reſpublica certa eſt ſuorum proventuum, & tamen omnis invidia populi derivatur in illos conductores ac exactores. Sed particularem rationem omnium Tributorum exponere non eſt inſtituti noſtri, ac poſſunt eà de re videri particulares Rerumpublicarum Scriptores.

5. In univerſum hoc circa Tributa obſervandam eſt, ne illorum gravitate populus ad deſperationem adigatur, nihil enim eſt, quod facilius populum ad arma concitare poteſt, quam gravia Tributa, præſertim ſi violenter exigantur. Intèrrogati aliquando Pannones à Tiberio cur toties rebellarent, Reſpondebant: Vos ipſi in cauſa eſtis, qui non paſtores ſed lupos nobis præficitis. Unde illa præclara adhibetur vox: Boni paſtoris eſt tondere pecus non deglubere. Nulla hiſtoria feracior rebellionum eſt, quam Neapolitana, ac memorabilis præcipuè atrox ille tumultus

multus, quem nuper quidam piſcator Thomas Angelus; vulgò Mas Angelo, excitavit propter tributorum exactionem. Et huc pertinet factum Rehabeami, qui ad gravandum populum defectioni decem Tribuum dedit cauſam. Neque alia tumultuum Belgicorum fuit cauſa, quam quod Dux Albanus decimum nummum rerum venalium vi extorquere voluerit.

6. Summæ igitur artis eſt talia excogitare vectigalia quæ cum minimâ inviciâ & maximo commodo Reipublicæ conjuncta ſint. Superioribus annis cum ærarium novo ſubſidio indigeret, Ordines publico edicto ingenia excitarunt, ut aliquid excogitarent ærario utile & populo non grave. Tandem repertus fuit quidam Gallus qui vectigal chartæ ſigillatæ excogitavit, cujus hæc erat ratio, ut omnibus codicillis & actis publicis Sigillum Ordinum vel majus vel minus imprimeretur, & nullum Inſtrumentum eſſet ratum, quod niſi tale ſigillum haberet. Pro majori ſigillo Aſſes ſex perſolverentur, pro minori tres. Hoc inventum imprimis placuit Ordinibus propter has rationes. (1.) quia modicum erat quod perſolve-

ſolvebatur (2.) quia pauperes erant exempti. (3.) quia maximum ærario emolumentum accidebat propter magnam copiam litigantium & Mercatorum. Fuit etiam aliud excogitatum vectigal, non minus utile & ad pravos mores corrigendos neceſſarium, ut nimirum qui aliis intendant litem, & cauſa cadunt, certam ſuæ pecuniæ ſummam perſolverent. Exempli gratia : Si ſumma de qua litigatur ſit quinquaginta Florenorum, perſolvuntur aſſes triginta; ſi centum, aſſes ſexaginta, atque ita porrò. Quanquam enim hoc vectigal non impedire potuit temere litigantium frequentiam, attamen Reſpublica ex malis eorum moribus emolumentum cæpit : nemo enim conqueri poterat de illo vectigali, ad quod pendendum nemo cogebatur niſi litigioſus. Optima igitur ſunt illa vectigalia, quæ vitiis publicis imponuntur, ut Reſpublica, quia planè vitiis cavere non poteſt, ſaltem ex illis utilitatem capiat. Sed, quia hæc omnia vectigalia non ſufficiunt ad onera Reipublicæ ſuſtentanda, hinc aliæ inſuper viæ & extraordinaria media uſurpantur. Ac primo quidem pecu-

nia mutuo ſumpta ſub fide publica, qui modus imprimis in Hollandia obtinet. Sed ad hoc imprimis requiritur, ut pecuniam mutuam repetentibus abſque mora ſatisfiat, & reditus annui promptè ſolvantur. De hoc vectigali gloriabatur Dux Wirtenbergicus, quod nimirum nullus ſuorum ſubditorum eſſet, à quo non urgente neceſſitate mutuam pecuniam habere poſſet. Secundo ducenteſima vel milleſima omnium facultatum, quod eſt extremum quaſi ærarii ſubſidium, quo noſtri non utuntur, niſi ultima neceſſitate, ex quo, propter immenſas incolarum opes, ingens pecunia conficitur. Atque hæc ferè ſunt uſitata & honeſta Reipublicæ vectigalia, ad quę accedunt etiam alia, ſed partim noxia, partim immòleſta. Qualia ſunt venditio honorum & Magiſtratuuum, & valor publicæ monetæ auctus vel imminutus. Quod quidem ultimum inter maxime exitioſa Reipublicæ cenſetur. Quemadmodum Germania ſenſit Anno 1622. & Polonia cum graviſſimo ſuo malo experitur. Poteſt tamen interdum prava pecunia cudi, ſed ea conditione, ut ceſſante neceſſitate iterum

cum

cum proba commutetur. Quemadmodum in hac urbe [Lugduni Batavorum] ante octoginta octo annos à Hiſpanis obſeſsâ monetam chartaceam uſurparunt, ſed poſt ſolutam obſidionem cum argentea & proba iterum mutarunt.

7. Quemadmodum tributa non niſi neceſſitate urgente ſunt introducenda, ita ſemel introducta, non facilè debent abrogari. Nam, etiamſi cauſa tributorum ſit ſublata, quia tamen populus ſemel aſſueta facile tolerat, difficulter autem iterum, ubi ſemel exemptus fuerit ad ea adduci poterit. Hinc conſultius eſt, ſpecie neceſſitatis antiqua tributa continuare. Præſertim cum nulla pax ſit diuturna inter mortales, ac ærarium in omnes caſus pecunia inſtructum eſſe debeat. Quapropter cum aliquando Nero deliberaret de cunctis vectigalibus omittendis; idque pulcherrimum donum generi humano dare vellet, impetum ejus attinuere Senatores, diſſolutionem Imperii timendam, ſi fructus, quibus Reſpublica ſubſtineretur, diminuerentur. Tacit. lib. 13. Annalium. Fuit tamen aliquando Urbs Roma longo tempore

ab omnibus tributis libera, quippe Paulus Æmilius confecto bello Macedonico, tantum auri & argenti in ærarium intulit, ut nullum perſolvi tributum à Civibus opus fuit uſque ad Hyrci & Panſi Conſultatum: teſte Plutarcho in vita Pauli Æmilii. Illud quoque ſtudioſe eſt cavendum; ne pecunia ex tributo collecta in cauſas ludicras effundatur. Quod imprimis tempore Hentici III. Regis Galliæ fuit obſervatum, de quo videatur Philipp. Cominæus lib. 10. Comment. Atque hæc etiam de tributis dixiſſe ſufficiant. Sequitur nunc ut de Fœderibus, & bellis quædam addamus.

DE FOEDERIBUS.

1. Hactenus Rempublicam per ſe conſideravimus. Sequitur nunc, ut etiam, quatenus reſpectum ad alias habet, conſideremus. Tres autem ſunt reſpectus Reipublicæ erga alias, vel enim conſiderantur ut Fœderatæ, vel ut hoſtiles, vel ut pacatæ. Fœderatæ Reſpublicæ dicuntur, quæ certis quibuſdam conditionibus conjunguntur. Talia autem fœdera poſſunt eſſe multiplicia. 1. Datur fœdus aliquod dediti-

tium

tium, cum populus infirmior, potentiori ſeſe ſubjicit, vel abſolutè, vel certis quibuſdam conditionibus, qualia fœdera erant inter Romanos & inter Porſenam Regem Hetruriæ, cujus conditio fuit, ne Romani ullo ferro, niſi ad agriculturam uterentur. Quale etiam fœdus inter Philiſtæos & Iſraëlitas fuiſſe legitur.

Et tali fœdere libertas amittitur, ac populi tributarii redduntur. 2. Aliud eſt fœdus quod Protectionis vocatur, in quo libertas & proprium Dominium non amittitur, ſed ſalva manet, ac Protector pro ſua opera, non niſi utilitatem non Dominium capit, & talia fœdera, inter multas Germaniæ Civitates ac Principes reperiuntur. Quamquam periculoſum ſit, potentiorem habere Protectorem, facilè enim Protectio tranſit in uſurpationem.

2. Sed fœdera quæ proprie ad Rempublicam ſpectant, communiter dividuntur in æqualia & inæqualia. Æqualia vocantur, in quibus utraque vel omnes partes æqualem habent auctoritatem ac reciproca ſunt.

Atque horum fœderum hæc ferè

præcipua eſt conditio, ut eoſdem amicos & inimicos habeant, atque omnia mutuo conſenſu ac pari auctoritate agant.

Quo ſpectant illa Virgilii lib. 12. Æneidos.

Non ego nec Teucris Italos parere jubebo
Nec mihi regna peto: paribus ſed legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.

3. Inæqualia fœdera appellantur, in quibus una pars prævalet, vel viribus, ſive authoritate, ſive utroque modo: ut ſi quis auxilia promittat nec reſtipuletur, aut ſe fœderato ſubjiciat, ſtipendia ſolvat, obſides det, & ubi quis tenetur alterius Imperium ac Majeſtatem conſervare, de tali fœdere loquitur Livius lib. x. In eo fœdere ſuperior Romana res erat. Et talia fœdera ferè ſunt inter Gallos & Helvetios, & plerunque inter potentiores & inferiores, inde ſuperioritas quædam emergit, non quidem poteſtatis ſed authoritatis ac dignitatis. Ac magnæ controverſiæ in iis fœderibus inæqualibus ſubmergunt. Quandoquidem periculoſa eſt omnis

Societas

Societas cum potentiore. Quemadmodum fabula Æſopi de Leone & reliquis animalibus oſtendit. Talia fœdera olim erant inter Belgas, Gallos & Anglos, ſub initio motuum Hiſpanicorum, quæ eo periculoſiora ſunt, quando ſuperior habet jus in præſidia ipſi Civitati inducenda.

4. Æqualia autem fœdera, ſunt inter illos, quibus vel par eſt poteſtas, vel ſaltem æqualis authoritas. Atque talia fœdera, aut propter pacem, aut propter ſocietatem inita. Fœdera æqualia Pacis cauſâ aliàs vocantur defenſiva aut offenſiva, de quibus in materia de bello erit tractandi locus. Fœdera Societatis, alio nomine vocantur commerciorum, aut communitatis belli.

Commercia plerunque ſpectant ne vectigal ullum, vel ut æquale ſolvatur, aut ne majus ſolvatur quam ad præſens, aut ad certam quantitatem. Qualia fœdera ferè ſunt Batavorum & Civitatem Hanſeaticarum cum Regibus Daniæ. Si verò ſit ſocietas bellica, conditio eſt, ut paria præſtent equitum, peditum, navium, vel pecuniæ auxilia, poſſunt etiã aliæ eſſe conditiones pro varietate caſuum & circumſtantiarũ.

5. Pri-

5. Primaria quæſtio de Fœderibus eſt,an illa inire liceat cum iis qui à Religione ſunt alieni. Quæſtio hæc à Theologis in foro conſcientiæ diſputatur, & ejus ſæpe magnus eſt uſus in Politica. Ita Galli & Hiſpani mutuo ſibi exprobrant fœdera cum Ethnicis, Turcis vel Hæreticis, ſed deciſio in Veteri & novo Teſtamento eſt clara, ita quidem ut oppreſſos qualeſcunque ſint, in materia juſta ſublevare liceat. Quemadmodum ipſe Paulus à Judæis oppreſſus imploravit auxilium à Cæſare & Tribunis. Sed talia fœdera circumſpectè ſunt ineunda, ne dum infidelibus auxilia feruntur, Chriſtiana fides detrimentum capiat. Atque huc pertinet præclara illa vox Fulconis Archiepiſcopi Ramenſis ad Carolum Simplicem Regem Galliæ. Quis non expaveſcat Vos inimicorum Dei amicitiam velle, ac in cladem ac ruinam nominis Chriſtiani pagana arma & fœdera ſuſcipere deteſtanda. Et ipſe Alexander Magnus graviter eos delinquere cenſet,qui adverſus Grçcos Barbaris militarent.

6. Si verò inter duos confœderatos oriatur bellum, & tertius ſit utrique con-

confœderatus, quæritur utri potius ferre debeat auxilium. Atque hic imprimis ſpectanda eſt juſtitia, ac præferendus eſt à Sociis confœderatis, qui juſtiorem habet cauſam, primus etiam aggreſſor videtur, majorem habere culpam. Quod ſi utrinque ſint cauſæ injuſtæ, utraque parte eſt abſtinendum, ac mediatoris officium ſuſtinendum.

7. Diſtinguitur etiam inter fœdera perſonalia ac realia. Perſonalia vocantur, quæ cum certâ perſonâ & ad tempus tantum iniuntur, & talia fœdera non ſe extendunt ad ſucceſſores. Atque huc plerunque referuntur fœdera cum Regibus inita, quæ cum morte Regis videntur expirare, quod tamen perpetuũ non eſt. Nam quod poſt mortem prioris à ſucceſſore renovatur, ac de novo confirmatur, id non arguit novũ fœdus, ſed prioris continuationem. Realia autem fœdera pro objecto habent id, quod ſuâ naturâ reale eſt, atque hæc ad nullas perſonas adſtringuntur. Quapropter ad evitandas has controverſias prudenter in ejuſmodi fœderibus hæc conditio additur, ut & ad præſentes & ad ſucceſſores pertineat,

neat, neque modo cum Rege ſed & toto regno ineantur. Sed hic dubitatur an talia fœdera etiam ſe extendant ad Regem, qui Regno à ſubditis eſt expulſus? id quod in genere affirmatur. Jus enim Regni penes ipſum manet etiamſi poſſeſſionem amiſerit. Quapropter Romani olim reſponderunt Tyranno Spartanorum Nabidi apud Livium lib. 34. cap. 32. Amicitia & Societas nobis nulla tecum. Sed cum Pelope Rege Lacedæmoniorum juſto ac legitimo facta eſt. Quapropter fœdus initum cum aliquo populo aut injuſto Rege, Tyranno vel invaſore non prodeſt, niſi poſtquam conſenſum populi impetravit aut præſcriptione longi temporis juſtum titulum acquiſiverit. Atque hæc de fœderibus, ſequitur nunc ut ad materiam de bello accedamus.

DE BELLO.

1. Quemadmodum in natura non omne tempus æque ſerenum & clarum eſt, ſed interdum tempeſtas ac fulmina: Ita Status Reipubl. frequenter bellis tanquam fluctibus agitatur, adeò ut multoties exclamandum ſit, Arma viri

viri, ferte arma. Fruſtranei igitur laboris eſt exiſtimare genus humanum abſque bellis regi poſſe, quod non magis fieri poſſit, quam corpus humanum ſine morbo aut morte perpetuo durare poſſe. Eſt ergo præcipua Politicæ pars, quæ de bello tractat, ejuſque non minor neceſſitas, quam legum & juſtitiæ.

2. Ac initio quidem illud tanquam certum præſupponimus; Chriſtiano Magiſtratui licitum eſſe bellum juſtum gerere, neque ea de re ullatenus conſcientia dubitare, aut diſputare debet. Quapropter Anabaptiſtarum dogma omne bellum etiam juſtum ac neceſſarium improbandum, vehementer repugnat ſtatui Reipublicæ, unde Helvetii præcipue illam ſectam ex ſuo territorio proſcribunt, quorum Reſpublica, cum tota in armorum exercitio conſiſtat, verentur, ne populus illa opinione imbutus, arma in poſterum ſumere, detrectent.

3. Prætermiſſis omnibus illis, quæ vulgo in Politicorum libris de bello traduntur, præcipua tantum capita, quæ imprimis ſcire intereſt, perſequamur. In bello igitur hæc præcipue in diſquiſitionem & conſultationem veniunt.

1. An

1. An bellum ſit gerendum. Atque hic opus eſt ſumma circumſpectione, ne quid temere & præcipitanter fiat, & omnia illa mala, quæ bellum comitantur, ob oculos ponenda ſunt, & quantum fieri poteſt gravibus verbis exaggeranda. Nihil enim tam atrox aut ſævum cogitari aut fingi animo poteſt, quod non belli furiis longiſſime ſuperetur. Itaque ſi unquam Politicus Oratorem ſe præſtare debet, in hac de bello gerendo deliberatione omnes dicendi vires adhibere debet, ut bellum quale ſit illis qui de eo gerendo conſultant, ob oculos ponat, ac iis demonſtret dulce bellum eſſe inexpertis, arma facile ſumi, ſed difficulter deponi, & quæ porrò in hanc rem commemorari poſſunt. Sola igitur inevitabilis neceſſitas, ad bellum gerendum cogere poteſt, & tamen cuncta prius tentanda, neque quicquam omittendum, quod, ut bellum evitetur, conducere poteſt, ſecundum illud, Pax iniqua etiam bello juſto præferenda eſt. Ubi autem hæc omnia fruſtra ſuſcipiuntur, neque aliter Reſpublica ſalva eſſe poteſt: tum vero ſecundum Auguſtini dictum, Bellum gerat neceſſitas, pacem
habeat

habeat volûtas. Adeoq; animo generoſo arma ſunt capienda,& quantum fieri poteſt, omnia eò dirigenda, ut bellū quam citiſſime finiatur, & inter ipſa arma perpetuo pacis conſilia promoveantur. Nam quemadmodum Saluſtius inquit. Sapientes pacis cauſa bellum gerunt,& laborem ſpe otii ſuſtentant. Quænam autem ſint juſtæ & neceſſariæ cauſæ belli, de illis ſcriptores Juris Publici ex profeſſo agunt. In univerſum duæ recenſentur, & quæ frequentiſſimum hodie inter mortales uſum habent; Religio & libertas. Quæ tamen plerumque potius pro prætextu ſumuntur, quam quod legitimam cauſam præbere poſſint. Ambitio & Avaritia plerunque ſunt occulti fontes, unde bella inter mortales profluunt, & ſicut Lucanus inquit: Quemque ſuæ rapiunt ſceleratæ in prælia cauſæ.

4. Poſtquam igitur ſtatutum eſt bellum gerere, videndum eſt, quæ potiſſimum forma bellorum præſenti neceſſitati inſervire poſſit. Duo communiter bellorum genera recenſentur. Defenſivum & Offenſivum; quibus tertium addimus, quod Diverſivum vocatur. Atque inter hæc tria bello-

bellorum genera, Defenſivum ſine dubio cum maximâ juſtitia conjunctum eſt, cum libertatem, patriam, parenteſque armis tegimus, vel etiam Sociis oppreſſis ac confœderatis ſuppetias ferimus. Offenſivum bellum cum majori conjunctum eſt periculo & ſpecie iniquitatis, unde à Politicis ſtudioſe cavetur, ne tanquam primi auctores belli concitati accuſari poſſint. Et quoties de origine & juſtitia bellorum diſceptatatur, id imprimis conſiderandum venit, quis prior arma ſumpſerit. Ejus enim videntur cauſæ iniquiores qui aggreſſor fuit, cum contra talem ſe defendere, omnia jura divina & humana permittant. Quod Diverſivum bellum ſpectat illud parũ differt ab Offenſivo. Spectat enim eò, ut hoſtis à noſtris oppugnandis, ad propria defendenda revocetur, ita ut ex Offendente fiat Defendens, & facilius ad pacem adduci poſſit. Hæ tres bellorum ſpecies plerunque cohærent, præſertim ubi inter potentiores bellum exarſit. At verò quorum vires ſunt debiliores, illi plerunque intra Defenſivi belli limites hærere coguntur, ac ſatis ipſis eſt ſua defendere: hoſtem à finibus repellere,

ac

ac ejus conatus irritos reddere. Ac tale bellum initio contra Hiſpanos geſſerunt Batavi, donec tandem ex bello defenſivo, offenſivum ac diverſivum magno animo fecerunt, circa annum 1590. A quo etiam tempore ſuperiores evaſerunt. Sed interdum extrema deſperatio bellum defenſivum convertit in diverſivum, idque plerunque ſolet eſſe ſalutare. Ita Agatocles ex Sicilia, Scipio ex Italia, bellum tranſtulerunt in Africam, ac ea diverſione brevi victores evaſerunt, quanquam ſumma videatur imprudentia, qui ſua defendere non poſſunt, eos inſuper aliena petere velle. Sed non eadem fuit fortuna in bello diverſivo Caroli Angliæ Regis, qui eodem conſilio anno 1651. ex Scotia in Angliam erupit, ſed exitioſe ſucceſſit.

5. Præcipuum momentum bellorum conſiſtit in eo, ut quam accuratiſſime ratio ineatur, quomodo illud cum minimo damno noſtro & maximo hoſtis detrimento geri queat. Atque hic imprimis expendendæ ſunt vires, tum noſtræ tum hoſtium, ac videndum in quô præcipuè conſiſtat momentum victoriæ. Vires conſiſtunt in Pecunia

& Mi-

& Milite. De Pecunia primum videndum, cujus tanta ad bellum gerendum neceſſitas ut nervus bellorum proverbio dicatur. Sicut igitur Medici negant ſine nervis homines ambulare poſſe ita neque bellum ſine pecunia geritur. Ac recte judicavit Thucydydes lib. 2. Pleraſque belli res confici conſilio & vi pecuniarum. Atque hoc etiam Chriſtus oſtendit Lucæ cap. 18. Quisquis igitur non eſt inſtructus à tali ſubſidio, is ſaltem bellum offenſivum & diverſivum omittet, ac contentus ſit ſua defendere. Ubi igitur ratio ærarii ſubducta eſt, ac ſufficiens ad præſentem neceſſitatem reperta, tum de commeatu, armis & milite proxima cura eſſe debet. Omnia autem hæc parantur præſenti pecuniâ. A commeatu faciendum eſt initium; prudenter judicavit Caſparus Colignius Admiralius Franciæ: In bello incipiendum à ventre, & deſinendum in capite. Annona igitur debet eſſe copioſiſſima, tum in urbibus & arcibus, ad tolerandas obſidiones, tum in campo & caſtris ad alendum exercitum. Nam quemadmodum inquit Vegetius; Qui frumentum neceſſariumque commea-

tum

tum non præparat, vincitur ſine ferro. Neque ullus frequentior in bello eſt error, quam qui ex inopiâ commeatus proficiſcitur. Poſt commeatum præparanda ſunt arma, quorum locus vocatur Armamentarium. Inter arma autem præcipuum locum obtinent tormenta & pulvis pyrius, & ſi maritimum eſt bellum, omnis generis naves. Qua in re imprimis exemplum Venetorum eſt imitandum, quorum Armamentarium omnibus rebus ad bellum gerendum neceſſariis, perpetuo inſtructum reperitur. Galli quoque prudentiæ exemplum ediderunt, quorum tormenta omnia ad unam menſuram ſunt conflata, quod magnum compendium eſt in expeditionibus. Atque his, commeatu nimirum & armis, ad futurum bellum abunde præparatis, tum demum de milite diſpiciendum eſt. Ac de militum quidem delectu hodie non adeo operoſa eſt deliberatio, quandoquidem ex promiſcua multitudine eliguntur, ac ſponte pulſato tympano, veluti muſcæ confluunt, plerunque fex populi & purgamenta urbium, quorum fere lingua eſt vana, manus rapaces, gula immenſa, pedes fugaces, quæ hone-

honeſte nominari non poſſunt in honeſtiſſima. Hodierna igitur militia,& quod delectum & quod diſciplinam ſpectat eſt corruptiſſima. Triplices autem in bello adhibentur milites,nimirum equites, pedites, & claſſiarii. Equitatu hodie excellit præ omnibus nationibus Gallia & Polonia. Germania inferior gravis armaturæ præſtantiſſimos equites ſuppeditat. Inter pedites excellunt Scoti & Helveti. Inter Claſſiarios Hollandi. Atque ita de cæteris quoque populis judicari poteſt. Neque vero magna quæſtio eſſe debet, exteri an domeſtici milites præferendi ſint:nam ſi domeſtici haberi queant, quis dubitet quin præferendi ſint exteris. Sed rariſſime bellum geritur ſolo milite domeſtico. Et ipſa Gallia,quanquam populoſiſſima, nunquam tamen ſine Helvetiorum peditatu bellum gerit.Sed præcipuum in militia momentum habent ipſi Duces tum inferiores tum ſuperiores, & imprimis ille qui vocatur Imperator ſeu Generalis. Nam ut Curtius loquitur: Militaris turba ſine Duce, quid eſt niſi corpus ſine ſpiritu: Ac tanti eſt exercitus, quanti Imperator. In omnibus his ſufficiens

ſciens requiritur experientia rerum, quæ ad militiam ſpectant. Imprimis tamen Architectura militaris. Hinc Muſcovitæ corpus quidem exercitus ex ſuo milite complent, ſed exteris Ducibus utuntur, ex Germania vel Scotia. Sed totius exercitus & belli anima eſt ipſe ſupremus Dux, à quo omnis ſpes victoriæ dependet. Itaque illi fere bello ſuperiores, qui præſtantiorem habent Ducem; & ſi utrinque pares Duces concurrant, bellum ſolet eſſe lentum ac difficile. Tales Duces fuerunt Hannibal & Fabius Maximus, & noſtra memoria Marchio Spinola, & Princeps Mauritius. Quinque autem principales virtutes in Supremo Duce requiruntur. Fortitudo, Scientia, Prudentia, Authoritas & Felicitas. Quæ ultima reliquis omnibus antecellit. Quidam enim Duces, fortunam tanquam pediſſequam habent, & quantumvis multa temere aggrediantur, pleraque proſpere ſuccedunt. Quapropter nemo unquam Dux magnus erit, niſi fortunam ſibi faventem habeat. Quapropter tales magnâ pecuniâ à Principibus conducuntur, quod magna ad victoriam ſpes ſita ſit in opi-

E nione

nione militum de felicitate ſui Ducis.

6. Ita ubi omnia ad bellum gerendum neceſſaria parata ſunt, tum abſque ullâ ulteriore morâ, bellum, prout videtur neceſſitas requirere, gerendum eſt. Atque hic jam conſilia præcipuum habent locum, quæ maximam partem dependent à Supremo Duce & Cônſiliariis Bellicis. Igitur de hîs Politico non eſt magna cura, cujus ſollicitudo non ulterius ſe extendit, quam ad incipiendum & finiendum bellum. Inter bellum & Pacem duo magni caſus intercedunt: Victoria vel Clades, utrum eveniat, ſive vincamus, ſive vincamur, de pace cogitandum eſt. Nam ut Seneca inquit. Pacem reduci velle Victori expedit, victo neceſſe eſt. Sequitur igitur, ut ſequenti capite de Pace agamus.

DE PACE.

1. Poſtquam igitur diu multumque ambiguis cladibus certatum, tandem finis bello imponitur, vel per excidium aut ſubjugationem adverſæ partis: Qualem plerumque exitum habent bella illorum, qui ad Monarchiam graſſantur. Quemadmodum in hiſtoria Alexandri Magni & Romanorum videmus,

demus. Vel per conditiones pacis. Ac de priori quidem modo dicere multa, nunc non opus eſt, quia & raro ſolet contingere, ut una pars penitus occumbat; & hodiernus Status non permittit, ut qui bello eſt inferior, penitus opprimatur, ſed mox alii ſe accingunt, qui oppreſſum adjuvant, adeoque potentiorem ad pacem cogunt. Quemadmodum nuper in bello inter Danos & Suecos viſum. Quapropter de Pace & ejus conditionibus pauca quædam addenda ſunt.

2. Ac primo quidem Pacis conſilia ſupremis Magiſtratibus ſemper debent eſſe quam commendatiſſima, ideoque crebro hæc ſunt illis ingerenda, quæ apud Senecam in Hercule Furente extant.

Si æterna ſemper odia mortales agant
Nec cæptus unquam cedat ex animis furor
Sed arma felix teneat, infelix paret
Nihil relinquent bella: tum vaſtis ager
Squallebit arvis: ſubdita tectis face
Altus ſepultas obruet gentes cinis.

Atque hic pertinent etiam illa

Pax optima rerum, Pax una triumphis
Innumeris potior - -

Ac in eo quidem facile conſentiunt mortales, pacem generi humano rem eſſe ſaluberrimam. Cæterum admodum difficile eſt reperire modum ſeu conditiones, quibus pax tuta & honeſta conſtituatur: Ac inter pares quidem, bello adhuc ambiguo, haud difficile eſt componere animos, ſed omnis difficultas verſatur inter victores & victos, quippe victoria animos ad ſuperbiam inflat, ita quidem ut difficillimũ ſit tolerabiles conditiones à Victore impetrare. Victi quoque interdum adeo ſunt pertinaces, ut nolint ſe ſubmittere neceſſitati, ſed potiûs malunt extrema perpeti, quam ſpecie ſupplicum, pacem petere, vel duras ac inhoneſtas conditiones ſuſcipere. In hoc igitur caſu ad potentiores Mediatores deveniendum eſt, qui partim ſua authoritate, partim etiam viribus utramque partem cogere poſſunt. Ita quidem, ut quas illi conditiones, utrique parti cenſent eſſe æquas ac tolerabiles eas accipere teneantur, cum comminatione armorum contra refractarium.

3. Quia vero interdum tractatus pacis ſunt admodum intricati & diu-

turni, hinc plerumque pacem præcedunt induciæ ſeu armiſtitia. Non ſecus ac ortum Solis Phoſphorus ſeu Lucifer. Induciæ autem nihil aliud ſunt, niſi pax quædam temporaria. Longiſſimum tempus induciarum in hiſtoria Romana reperitur annorum centum. Inter Athenienſes & Spartanos annorum quinquaginta: Inter Hiſpanos & Belgas annorum duodecim.

4. Pax vocatur ceſſatio armorum nullo tempore circumſcripta; Eſtque duplex, vel Æqualis, vel Inæqualis; Æqualis eſt, ubi paribus utrinque conditionibus tranſigitur & tales paces ſunt quam maxime durabiles ac honeſtæ, neuter enim conqueri poteſt ſibi factam injuriam. Inæqualis eſt, cum una pars alteri præſcribit leges. Qualis pax fuit inter Romanos & Carthaginenſes. Et in tali pace rara ſolet eſſe conſtantia: cum inferiores datâ quâcunque occaſione, iniquam illa pacem excutiant, ac vim ſibi ac injuriam factam conquerantur. Tales enim paces videntur potius ſervitutis pactiones eſſe, & in ſervitutem cadere de Regno, grave eſt. Præcipuæ igitur Pacis conditiones hæ ſunt, ut pax ſit honeſta &

ſimplex. Per ſimplicitatem intelligitur ſinceritas procul ab omni fraude ac fuco. Sæpe enim pacis nomine involvitur bellum. Tacitus lib 4 Hiſtor. docet. Neque diu ſtare poteſt id, quod animo ſubdolo ac fraudulento fuit tranſactum.

5. Bellum autem tunc commodiſſima Pace finietur, quando fortuna nobis favet, adeoque ſuperiores ſumus; quippe fortuna eſt inconſtans, & omnia quæ agimus ſubjecta ſunt mille caſibus, nemo ſe tuto diu periculis offerre tam crebris poteſt. Atque huc pertinet Oratio Hannibalis ad Scipionem Africanum apud Livium, lib. 30. cap. 76. Quapropter glorioſum & ritum eſt fortuna favente ad pacem honeſtam hoſti dandam uti, neque fortunam pertinaciter laceſſere.

6. Perfectiſſima Pax conſiſtit in remiſſione omnis prætenſionis & juris, ac perpetuâ præteritorum oblivione ſancita.

Et talis Pax inter Hiſpanos & Confœderatas Provincias fuit inita poſt diuturnum octoginta annorum bellum, renuntiante Hiſpano omni prætenſioni & juri quod habere poterat in has

has Provincias. Sed talis Pax admodum inter homines eſt rara, plerumque retinentes ſuas prætenſiones, & cauſas belli potius ad tempus occultantes, quam penitus tollentes. Ita inter Hiſpanos & Gallos nunquam poteſt eſſe ſtabilis pax, remanentibus ſemper antiquis controverſiis. Nam Rex Galliæ non vult remittere ſuas prætenſiones in Regnum Navarræ, Neapolis & Ducatum Mediolanenſem. Rex Hiſpaniæ retinet ſua jura in Ducatum Burgundiæ: Unde quemadmodum vulnera non bene curata facile recrudeſcunt, ita quoque talis Pax infirmis nixa radicibus facile evertitur, & ſemper ex iiſdem cauſis ad arma denuo veniri ſolet.

De Mutationibus Reipubl.

1. Et hactenus de Republicâ ſpectatâ in integro, ſequitur ut nunc de Caſibus & Mutationibus, quibus ſubjecta eſſe ſolet quædam addamus. Reſpublica igitur non poteſt eſſe æterna vel immutabilis, quemadmodum olim Romani de ſua urbe gloriabantur, ſed in perpetuo motu conſiſtit, & nunc

creſcit, nunc decreſcit, interdum etiam funditus evertitur ac concidit. Quas quidem mutationes Ovid. lib. 15. Metamorphoſeos elegantiſſimo carmine complectitur:

- - Sic omnia verti
Cernimus, atque alias aſſumere robora gentes.

2. Mutationes fiunt, vel à Magiſtratibus vel à ſubditis & tum ferè permutantur ſpecies Rerumpublicarum ut ex Ariſtocratia fiat Monarchia, vel Democratia, aut eontra. Sed tales mutationes rarò fiunt abſque ſeditionibus & bellis Civilibus, quibus malis præcipuè Urbs Roma, Florentia & Genua fuerunt ſubjectæ.

3. Cauſæ talium Mutationum aliæ ſunt principales & ſupremæ; aliæ inſtrumentales & ſubalternæ. Principalis eſt ipſe DEUS, â cujus providentiâ ſingulariter Reſpublicæ dependent. De qua re exſtat inſignis locus apud Tacitum 4. Ann. cap. 1. Ubi inter cauſas malorum, quæ Rempublicam Romanam ſub Sejano afflixerunt, primario refert iram Deorum in rem Romanam. Et huc pertinet illud Prophetæ Amos Cap. 3. v. 6. An erit malum in Civi-

Civitate, quod Jehova non efficiat. Cauſæ autem inſtrumentales ſunt innumeræ, quarum aliæ dependent ab elementis ſupra nos, ut à fulmine, igne cœleſti, peſtilentia, aëris ventis, pluviis & inundationibus, vel ab elementis infra nos, ut à terræ motu, ab animalibus. Ita Reſp. aliquando deſtructæ fuerũt, à muribus, cuniculis & locuſtis: ſed frequentiſſime ab ipſis hominibus. Unde aliæ cauſæ internæ, aliæ externæ à quibus mutationes & deſtructiones Rerumpublicarum proficiſcuntur. Internę ſunt, reſpectu Magiſtratus, odium & contemptus, reſpectu ſubditorum, diſcordiæ, factiones & ſeditiones, & in communi, ſecuritas, imprudentia, nimium bellandi ſtudium. Externæ cauſæ ſunt, defectio Sociorum, rebellio Provinciarum, direptio Barbararum gentium, & denique infelix bellum. Præcipua exempla everſarum Rerumpublicarum ſunt in antiqua hiſtoria, Carthago, Corinthus, Thebæ, Hieroſolyma, & noſtro tempore Magdeburgum: ſed præcipua Rerumpublicarum ruina & graviſſimæ mutationes præcipue dependent à factionibus. Quales in recenti hiſtoria præcipuè occurrunt

Guelvi & Gibellini, in Gallia Hugenotæ & Ligiſtæ; in Hollandia Huckii & Cabeliavi. Quarum factionum hæc natura eſt, ut perpetuo inter ſe luctentur, & vix unquam illa odia extingui poſſint, quæ eò ſunt graviora, quod plerunque proximi ſanguine & affinitate in partes diſcedunt, adeoq; omnia quaſi vincula humanitatis abrumpantur. Et hic locum habet illud, quod Seneca inquit lib. 2. de Ira: Contraria caſtra ex una parte contraria, & parentum liberorumque Sacramenta diverſa. Et Lucanus lib. 7.

Videre parentes
Frontibus adverſis, fraternaque cominus arma.

4. Atque hæc eſt quaſi generalis via perdendi Rempublicam, ut jure dici poſſit

In ſe magna ruunt lætis hunc numina rebus
Creſcendi poſuère modum.

Ac certis demum cuncta temporibus naſci, debent creſcere, extingui. atque hæc in genere de mutationibus Rerumpublicarum dixiſſe ſufficiat. Sequitur nunc ut ad varias ſpecies Rerump. accedamus, & de Monarchia, Ari-

Ariſtocratia & Democratia, earumque naturâ ac differentiis agamus.

De ſpeciebus & formis Rerumpublicarum.

Formæ Rerumpublicarum ſunt vel ordinariæ vel extraordinariæ. Extraordinariæ ſunt duæ, Theocratia, & Stratocratia. Theocratia peculiaris fuit populo Iſraëlitico, ab exitu ab Ægypto, ad Captivitatem Babylonicam. Quanquam enim Judæi haberent ſuos Magiſtratus, Judices, & Reges, ſupremum tamen imperium erat penes ipſum Deum, qui per Prophetas, vel alia revelatione ſignificabat, quid fieri vellet. Videatur Cuneus de Republica Hebræorum, & Seldenus paſſim in operibus ſuis. Stratocratia eſt imperium militare, quando ſumma poteſtas eſt penes exercitus. Talis forma Reipublicæ fuit apud Romanos, ab exceſſu Neronis, uſque ad tempora Conſtantini Magni. Hodie apud Turcas, & nuper apud Anglos tale imperium militare obtinebat.

2. Ordinariæ formæ Rerumpublicarum enumerantur tres, Monarchia, Ariſto-

Ariſtocratia, & Democratia. Hæc diſtinctio pertinet ad triplicem diſtinctionem hominum. Alii enim ſunt naturâ ſervili, alii libertatis amantes, & alii mixti, qui nec totam libertatem, nec totā ſervitutem poſſunt perferre. Qui ſunt ingenio ſervili, illi delectantur Monarchiâ. Nam eſt res fere irreconciliabilis Principatus & Libertas, ſive imperium unius & aliorum æqualitas. Et quo magis ad ſervitutem inclinant populi eò fit adductior Monarchia. Quemadmodum Tacitus in libro de moribus Germanorum illos Monarchiarum gradus diſtinguit, dicens: Populos quoſdam adductius regnari, nondum tamen ſupra libertatem. Contra verò populi libertatem retinentes, vel Ariſtocratiam vel Democratiam amplectuntur. Qui autem ſunt mixti, illi formas Rerumpublicarum ſolent permiſcere, & ex Monarchia, Ariſtocratiâ & Democratiâ temperare. Et talis eſt Reſpublica Venetorum. Ubi Dux repræſentat Monarchiam, Senatus, Optimates, Reliqui vero totum populum. Eadem mixtura eſt apud Anglos, quorum Supremus Senatus vocatur Parlamentum, conſtans ex tribus

bus partibus, ex Rege, ut Monarcha: Domo ſuperiori ſive Procerum, qui repræſentant Ariſtocratiam: & ex Domo Inferiori, ſive communi, qui totius populi nomine res gerunt.

3. Antiqua quæſtio inter has tres Rerumpublicarum formas eſt. Utra ſit præſtantior & magis conveniens ſtatui humano? Ac in genere quidem dici poteſt ſingulas multa excellentia habere, adeoque in pari gradu dignitatis conſiſtere. Nam quid magis naturale, quam unum aliquem habere Ducem & gubernatorem? Quid melius quam optimos & præſtantiſſimos imperare? Ac denique quid æquius, quam ex promiſcua multitudine civium liberis ſuffragiis creare Magiſtratus? Igitur hominũ vitio & diverſitate naturarum inter tres formas oritur differentia. Videmus Gallos non alius Regiminis eſſe capaces quam Monarchici; quod ſi quis apud Helvetios vellet introducere, is idem ageret, ac ſi aquam igni permiſcere vellet. Et ita quidem de cæteris quoque formis judicandum eſt. Experientia tamen docuit ſtatum Monarchicum rarò eſſe felicem, ac maxima incommoda in eo reperiuntur, ſi ipſam

ipſam populi utilitatem ſpectes. Quapropter plerumque plebs in Monarchia quam graviſſime opprimitur. Soli Nobiles & Aulici florent. Ac videmus in Germania quanto præſtantior ſit ſtatus Civitatum liberarum Imperialium , quam Civitatum quæ ſub Principibus vivunt. Principes enim ſuos ſubditos raro diteſcere ſinunt, ſed ſi quid lanæ ſuccreſcat , ſtatim atondent. Contra vero Civitates liberæ, ſive Ariſtocratice, ſive Democratice gubernentur, maximis opibus affluunt. Igitur ſi recta ratione rem æſtimemus, ſtatus Popularis omnium videtur eſſe præſtantiſſimus. Sed quia homines tanto bono plerunque abutuntur , hinc pauciſſimæ hodie reperiuntur Ariſtocratiæ perfectæ , ac ſola Reſpublica Belgica hodie dignitatem Ariſtocraticam florentiſſimo ſtatu ſuſtinet. Sed boni Civis eſt ac Subditi, in præſenti ſtatu Reipublicæ acquieſcere , neque temere quod majores ſtatuerunt, immutare; ſecundum illud Taciti lib. 12. Ann. ferenda Regum ingenia, neque uſui crebræ mutationes.

De

De Monarchia.

1. Monarchia inter formas Reipublicæ,ſi non eſt optima,ſaltem ſplendidiſſima cenſetur. Nuſpiam enim major ſeſe extollit magnificentia, quam ubi unus imperat. In Ariſtocratiâ,maxime vero Democratiâ omnia geruntur ſimpliciter, Neque externa pompa oculi ſubditorum præſtringuntur: Peculiaria Monarchiæ hæc ſunt. Primò; Quod non ferat Socium, ſecundum illud : Omniſque poteſtas impatiens conſortis erit. Hinc Proverbium, Thorus & Thronus non ferunt Socium. Et illud Alexandri Magni. Neque cœlum poſſe gubernari duobus Solibus, neque unum Imperium duobus Regibus. Quapropter hoc peculiare eſt perfectæ Monarchiæ, quod eſt inſociabilis. Secundò, Quanquam Monarchia non poſſit perferre ſocium ſive æquales, plerunque tamen perfert aliquem ſuperiorem; Plerunque enim habent Reges aliquem à quo ipſi reguntur, & cui civiliter ſunt obnoxii. Et tales plerunque vocantur Primarii Miniſtri. Quales fuerunt apud Tiberium, Sejanus;

nus: apud Reges Galliæ, Majores Domus. Ac noſtro tempore tales Monarchiæ fuerunt in Hiſpaniâ, Galliâ & Angliâ, ubi Reges admiſerunt quoſdam, quaſi Pædagogos, à quibus gubernabantur. Tertiò, Sola Monarchia admittit etiam infantes & fœminas, quod maxime naturæ repugnat, unde etiam de imperfectione Monarchiæ judicari poteſt. Nam quid abſurdius, quam infantem etiam nondum natum gubernare Rempublicam? Et tamen Perſæ coronarunt Regem ſuum Cosroen, cum nondum in lucem editus fuiſſet, coronâ utero materno impoſitâ. Rurſum quid abſurdius, quam unam fœminam tot viris imperare, & cum illam ſervitutem, ne quidem œconomia perferre poſſit, nihilominus Monarchici contra regulas naturæ etiam fœminis conceſſerunt ſupremam Majeſtatem. Deinde quis probare poſſit imperium hominis furioſi aut ſtolidi, aut manifeſte flagitioſi, & tamen tales ſolent eſſe in Monarchia: Furioſus fuit *Carolus VI.* Rex Galliæ & *Wilhelmus* Comes Hollandiæ, Stolidus fuit *Carolus* Simplex Rex Galliæ. Ignavus & ſordide flagitioſus fuit *Wenceſlaus* Rex Bohemiæ:

hemiæ : aptior profecto, qui porcos paſceret, quam homines gubernaret. Et tamen omnia hæc incommoda tolerare cogitur ſtatus Monarchicus, propter alia quædam emolumenta, quibus hæc mala compenſari exiſtimant. Quartò. In ſola Monarchia admittitur hæreditas, vel ſaltim ſucceſſio. Eſt igitur hoc quoque peculiare, quod cum Ariſtocratia & Democratia omnem hæreditatem & Succeſſionem Magiſtratuum repudiet, ſola Monarchia id tanquam ſingulare privilegium admittat. De quo conqueritur apud Tacitum 1. Hiſtor. Imperator Galba, dicens: *Hactenus unius familiæ hæreditas fuimus, inſtar libertatis erit, quod eligi cœpimus.*

2. Monarchia eſt triplex. *Electiva, Succeſſiva, & Hæreditaria.* Hic vulgaris illa quæſtio occurrit : *Electio præferenda an Succeſſio?* Et certe ſi naturam reſpicias, quid æquius quam Imperatorem unum ab omnibus eligi. Et huc pertinet eadem Oratio Imperatoris Galbæ apud Tacitum 1. Hiſt. cap. 16. ubi eleganter inquit, Optimum quemque electio inveniat, nam generari & naſci à Principibus fortuitum, neque ultra

ultra æſtimatur : ſed objicitur ; Fortes creari fortibus & bonis. Quod cum in brutis animantibus obtineri poſſit,non negamus , ſed nihil frequentius inter homines fallit ; Ubi plerumque, Heroum filii noxæ. Sed fortaſſe vitia nativitatis poterunt corrigi educatione. Atqui quæ poterit in corruptiſſimis Aulis, proba eſſe educatio. Quid proficit Neroni præceptor Seneca. Ita negari non poteſt rem eſſe imprimis abſurdam talem Regem admittere qualis naſcitur, nullo habito delectu,an aptus ſit an vero ineptus. Sed in hoc quoque caſu maluerunt populi potius aliquid incommodi accipere , à Succeſſione qualicunque Principum, quam ſe ſubjicere turbulentis Conciliorum ſuffragiis , ac mala factionum & interregni incommoda experiri. Unde hodie in toto orbe terrarum ſola Polonia liberam electionem Regis obtinet, quam etiam armis nunc tuentur , ac ſummis viribus obſiſtunt, ne vivo adhuc Rege Succeſſor ſibi obtrudatur.

3. Præcipuum,quod in Monarchia caveri debet , eſt interregnum. Quod perinde ſe habet in Republica , ac ecclipſis in natura. Varia autem excogitata

tata fuerunt remedia, contra incommoda interregni, inter quę pręcipuum locum obtinet, ut Prorex vel Gubernator conſtituatur. In Germania vacante Imperio obtinet Vicariatus: quo hodie tres Electores funguntur, Palatinus, Bavarus & Saxo. Poloni olim, tempore interregni, duodecim Palatinos crearunt. In Brabantia creabatur olim Magiſtratus, quem vocabant Rubardum, quaſi dicas, cuſtodem publicæ tranquillitatis.

4. Triplices autem reperiuntur Monarchiæ ſpecies. Hæreditaria, Succeſſiva, & Electiva. Eſt enim differentia inter Regnum hæreditarium & Succeſſivum. Ita Reges Galliæ profitentur ſe eſſe Reges ſucceſſivos, negant autem hæreditarios. Succeſſiva autem eſt duplex, vel cognatica, vel agnatica. Cognatica admittit utrumque Sexum: & talis eſt in Hiſpania, Anglia, Suecia. Agnatica excludit fœminas, & ſolos proximos agnatos; & talis ſuccedendi modus eſt in Galliâ. Vulgò dicunt, fœminas à Regno excludi in Galliâ per Legem Salicam, de qua tamen nihil certi conſtat. Et huc quoque illud ex Euangelio accõmodant, Lilia nõ nent.

De

De Ariſtocratia.

1 Secunda forma Rerumpublicarum eſt Ariſtocratia quando ſumma poteſtas eſt penes Optimates, qui alio nomine vocantur Patricii. Reperiuntur autem triplices Ariſtocratiæ. Prima ſpecies admittit optimos quoſque, nullo habitu reſpectu Nobilitatis, ſed tantum opum & prudentiæ. Et ad hanc Ariſtocratiam admittuntur etiam opifices & mercatores, quod fere obtinet in Civitatibus Batavicis. Tales Ariſtocratiæ admodum vicinæ ſunt Democratiæ. Unde etiam crebro per ignorantiam confunduntur, ſed diſcrimen eſt manifeſtum. Nam in Democratiâ, Magiſtratus populo eſt obnoxius, at vero in Ariſtocratia, à Magiſtratu non licet provocare ad populum, ſed quicquid Magiſtratus ſtatuunt, id populus ratum habere debet. Secunda ſpecies Ariſtocratiæ eſt, in qua Magiſtratus ad certas quaſdam perſonas reſtringitur, ſive ad Nobilitatem ſive ad ſolos divites, ſive ad certas quaſdam familias. Qualis Ariſtocratiæ forma obtinet Noribergæ & Francofurti, quibus in locis

locis nemo ſupremum Magiſtratum conſequi poteſt, niſi ex Patricia familia natus. Et hæc Ariſtocratia eſt quaſi hæreditaria, & à patribus ad filios, dummodo ſint capaces, jure quodam acquiſito tranſit. Tertia Species Ariſtocratiæ eſt, in qua unus aliquis titulo Ducis aut Principis eminet, quanquam nullam per ſe poteſtatem obtineat, ſed Senatui ſit ſubjectus ac obnoxius Talis Ariſtocratia eſt Venetorum, Genuenſium, Lucenſium & Raguſiorum.

2. Præcipuum conſervandæ Ariſtocratiæ medium, ne in Democratiam degeneret, in eo conſiſtit, Ut conjugia Patriciorum cum Plebeis prohibeantur. Hinc Romæ tanta fuerunt certamina inter plebem & Patricios, neque ante Ariſtocratia in Democratiam fuit transformata, quam conjugia plebi cum Patriciis conceſſa fuerunt. Quapropter legibus Duodecim Tabularum fuit cautum, ne Patricii cum plebeis conjugia inirent. Quæ etiam Lex hodieque Noribergæ obſervatur. Deinde honor Patriciorum contra injurias plebis ſummo ſtudio eſt vindicandus. Quapropter Patricii non

facile

facile multo minus publice, ſupplicio ſunt afficiendi. Hinc tantum ſibi Cicero odii conciliavit, quod in Conſulatu ſuo Patricios ſupplicio affeciſſet. Sunt etiam plebis conventicula ſtudioſe inhibenda, ac imprimis danda eſt opera, ne plebs ſit armata. Facile etiam Ariſtocratia degenerat in Monarchiam. Quapropter ſtudioſe conſervanda eſt æqualitas, ne unus aliquis aut pauci nimium creſcant potentiâ & authoritate apud populum. Ita Romani, cum hos tres, Pompejum, Cæſarem & Craſſum nimia potentia auxiſſent, primo delapſi ſunt in Oligarchiam, ſive Triumviratum, deinde in Monarchiam. Quapropter varia contra hoc malum excogitata fuerunt remedia. Græci tales in exilium pellebant, quorum nimiam potentiam ſuſpectarunt. Quod apud Athenienſes fiebat Oſtraciſmo. Et huc pertinet antiqua illa Mileſiorum Lex. Nemo inter nos ſit probus ſive excellens, ſi quis autem talis ſit, apud alios & alibi vivat.

De Democratia.

1. Democratia eſt forma Reipubl., in

in qua jura Majeſtatis, ſunt penes populum: Peculiaria Democratiæ hæc ſunt. Primò, quod in ea ſit æqualitas omnium, nulla habita diſtinctione Nobilitatis aut plebis, ſed viritim omnes habent jura ſuffragiorum, adeoque ibi ſuffragia non ponderantur, ſed numerantur. Secundò Magiſtratus in Democratia non ſunt perpetui, ſed ambulatorii, ac plerunque annui ſpacio definiuntur. Vulgò Democratia habetur pro imperfectiſſima forma Rerumpublicarum, nam nihil habet Splendoris & pompæ externæ. Conſilia ſunt fere turbulenta, & propter multitudinem confuſa. Et tales Democratiæ fuerunt apud Athenienſes, Florentinos, & hodie apud Helvetios. Sed ſunt tamen alia quibus Democratia ſuperat Monarchiam & Ariſtocratiam. Primo; Summa & abſoluta omnium Civium libertas, neque ibi locus eſt alicujus ſuppreſſionis, cum omnes magiſtratus obnoxii ſunt judicio populorum. Hinc uſus armorum plebi non tam conceſſus, quam imperatus eſt. Accedit & aliud commodum, quod propter amorem libertatis, Democratiæ populo abundent, confluentibus eò

undi-

undique quibus ſub Rege vel Nobilitate vivere moleſtum eſt. Unde Democratias plerunque videmus abundare opibus. Quippe raris atteruntur tributis ac vectigalibus, & publicæ opes non impenduntur in luxum aut ſumptus non neceſſarios, ac Magiſtratus fere propriis impenſis ſine ſalariô publico munus ſuum exercent. Talis fere forma Reipubl. eſt Hamburgi, Lubecæ, & in plerisque Civitatibus Anſeaticis, quas propterea potentiâ ac divitiis florere videmus.

De Converſionibus Rerump.

1. Hæ tres formæ Reipubl. ſpecialibus quibuſdam mutationibus ſunt obnoxiæ, de quibus pauca ſunt addenda. Commune vitium Monarchiæ eſt Tyrannis, ac vix ulla Monarchia ab hoc malo eſt immunis. Plerunque enim ſub Regio Imperio multa accidunt, Tyrannidi admodum affinia. Præcipuum autem arcanum Tyrannidis eſt, ditare Nobiles, & plebem depauperare. Hinc perpetuis fere bellis ſua regna exercent, ne otio aſſuetus populus luxuriet, & in pace de oneribus

bus ac oppreſſione conqueratur, quod ubi bellum imminet fieri non poteſt, quippè prætextu defenſionis contra hoſtem civitates & arces milite opplentur, ac quicquid ſubditi de oneribus nimiis conquerantur, præ ſtrepitu armorum non audiantur eorum querelæ.

2. Contra Tyrannidem igitur non eſt aliud remedium quam, quo Belgæ contra Regem Hiſpaniæ uſi fuerunt id eſt, ut populi arctiſſimum inter ſe fœdus ineant ac ſe contra vim ac oppreſſionem defendant; Ac ſi ſpes nulla ſuperſit reconciliationis cum Tyranno, tunc ipſis abrogandum eſt imperium, & alia forma Reipublicæ inſtituenda. Cætera quæ ad Tyrannidem ſpectant, jam ſupra ſunt expoſita.

3. Ariſtocratia facile degenerat in Oligarchiam contra quam hæc ferè uſurpantur remedia. Primò quidem. Ne liceat Optimatibus exſtruere arces vel Caſtella, unde Romani moleſte tulerunt domum Valerii Publicolæ, quod inſtar caſtelli foro immineret. Deinde prohibenda ſunt matrimonia Optimatum cum potentioribus, id eſt, ne liceat Optimatibus ducere uxorem ex fami-

lia Regia vel Principali. Ita familia Medicea per conjugia Regalia ad ſupremam dominationem aſcendit. Neque permittenda ſunt Optimatum inter ſe nimiæ cognationes, nam hoc Rempublicam Romanam peſſundedit, quod Cæſar & Pompejus affinitate ſibi conjuncti eſſent, unde initio ſimul Rempublicam oppreſſerunt, mox diſcordes facti, alter alterum è medio ſuſtulit. Utile quoque eſt exercitus & legationes non uni ſed pluribus ſimul committi, præſertim vero, quorum contraria ſunt ſtudia. Ita Athenienſes plerunque Themiſtocli collegam addiderunt Ariſtidem, inter quos perpetuæ erant æmulationes, unde alter alterum ſtudioſe obſervabat, ac ejus conſiliis ſe opponebat.

4. Democratia poteſt mutari vel in Ariſtocratiam vel in Ochlocratiam. Ac Ariſtocratia facile quidem impediri poteſt, ſi Magiſtratus committantur hominibus mediocribus, excluſis quorum potentia poteſt eſſe ſuſpecta. Accedere debet Severitas in peccantes, ac ipſi Magiſtratûs, ſi contra leges delinquant, carcere, exilio, vel etiam capite mulctari debent. Præcipue plebs

tales

tales ſibi eligere debet Tribunos, qui quam acerrime privilegia populi cuſtodiant, ac in actiones Magiſtratuum curioſe inquirant. Sed majus Democratiæ imminet periculum ab Ochlocratia & Anarchia. Ochlocratia vocatur, quando fex populi jura Majeſtatis invadit, & in qua peſſimo & egentiſſimo cuique plurimum licet. Tales Ochlocratiæ plerunque erumpunt in Spoliationes divitum; direptiones ædium, & Spoliationes civitatum. Quemadmodum nuper factum Neapoli & Antwerpiæ. Et de hac forma Reipublicæ loquitur Scriptura, cum inquit: Non erat Rex in Iſraël, & quilibet faciebat, quod erat bonum in oculis ejus. Atqui talis ſtatus eſt ultima corruptio ſocietatis humanæ. Nam ſicut corpus Phyſicum reſolvitur in ſua elementa, ſive materiam primam: Ita corpus Politicum non poteſt plane deſtrui & diſſipari niſi per Anarchiam Hæc de Politica generali dicta ſunto, ſequitur nunc Politica Specialis.

Politica Specialis.

1. Hactenus in genere expoſuimus,

quæ ſit natura Rerumpublicarum, ſed non ſufficit ſcire, quid in univerſum conveniat generi humano, niſi actiones ſingulorum præſertim maximè illuſtrium populorum peculiares artes & diſtincta quaſi àrcana cognoſcantur. Sed hæc pars potius uſu, converſatione, peregrinatione, Legationibus, quam præceptis addiſci & tradi poteſt. Pauca igitur tantum & maximè comperta enumerabimus.

De Politica Hiſpaniæ.

1. Hiſpanorum Politica tota conſiſtit in faſtuoſa quadam & aliis populis ridiculâ gravitate, quod & linguâ & habitu & inceſſu ab aliis populis diverſis teſtantur. Prçcipua illorum cura eſt, magnitudinem ſui Regis uſque ad ſcrupuloſitatem exigere; jactare immenſam illius potentiam, & cæteris omnibus populis, ſolo excepto Imperatore Romano controverſiam de præcedentiâ movere, non alio argumento, niſi quod Rex Hiſpaniæ amplius territorium, quam reliqui obtineat. Prima igitur ſemper controverſia, inter Hiſpanos, Gallos & Anglos de præcedentia

tia eſt. Nam ſecundum antiquam conſuetudinem, primum inter Reges locum obtinebat Rex Galliæ, ſecundum Rex Angliæ tertium Rex Caſtiliæ. Sed ille ordo inde uſque à temporibus Ferdinandi Catholici perturbari cœpit, neque in hunc uſque diem definiri potuit, ita ut haud minimum artificium in eo conſiſtat, quomodo tres illæ diſcrepantes nationes ſimul tractandæ ſint, ut nullam ſibi injuriam factam conquerantur.

2. Succedit controverſia de linguâ, quâ in Tractatibus utamur. Nam & hoc non parum addere videtur authoritati, cujus quis utatur linguâ. Convenientibus aliquando legatis Hiſpaniæ & Angliæ diſceptabant inter ſe de linguâ. Legatus Hiſpaniæ per ludibrium dicebat ad Legatum Angliæ, loquamur linguâ Gallicâ, quippe tua Regina eſt Regina Galliæ. Imò vero regeſſit Anglus loquamur Hebraicè, quippe tuus Rex, eſt Rex Hieroſolymorum. Igitur omnes tractatus publici linguâ Latina tanquam omnibus communi & neutrarum partium peraguntur.

3. Omnes Hiſpanorum actiones ſunt lentæ neque ulla in re gravius no-

cere ſolent Gallis, quam ſua tarditate. Ideo qui cum Hiſpanis tractant,niſi & ipſi parem adferant patientiam , ſuccumbent. Neque vero raro Hiſpanis ea tarditas nocet,dum præclaras rei gerendæ occaſiones præterlabi ſinunt, & dum nimis diu deliberant,conſilia fere poſt res adferunt. Magnifici Religionis Catholici defenſores ac Zelotæ videri volunt, & hoc omnium ſuorum bellorum generale quaſi fundamentum eſt. Atque eâ arte olim Galliam longo & miſerabili bello involverunt, Germaniam & Belgium perturbarunt; Angliam ſpe devorarunt,& tamen triſti exitu nulli magis quam ſibi ipſis detrimentum intulerunt,namque deprehenſis, quas Religionis prætextu velant, fraudibus non tam Religionem, quam Regionem ab ipſis quæri deprehenſum fuit.

4. Præcipuus Hiſpanorum ſcopus eſt, defendere Italiam imprimis Ducatum Mediolanenſem , ab invaſione Gallorum. Nihil enim ægrius ferunt, quam ſi Galli pedem in Italiam ponant,exiſtimantes,eâ amiſsa actum fore de Monarchia Hiſpanica. Pari ſtudio,& majori cum emolumento ab invaſione

vaſione Anglorum præcipue & Batavorum defendunt Americam, ſive Indias. Quippe cum omnes Hiſpanorum opes inde dependeãt, juſto metu ſuam ruinam præſumunt, ſi exteris populis, præcipue mari potentibus, navigatio in eam pateret. A quibus vel indigenæ ad rebellionem concitari, vel Claſſes Hiſpanicæ opibus graves ſive deſtrui ſive capi poſſunt. Sed hodie res Hiſpanorum domeſtico cum Luſitanis bello involutæ, in minori ſunt potentià, & ipſa Hiſpania opibus exhauſta ac longo bello attrita, ægre priſci nominis magnitudinem tuetur, neque levis imminet immutatio per mortem Philippi IV. qui jam ætate vergente, nulla vel impubere prole relictâ, videtur magnam allaturus rerum converſionem. Atque hæc & plura alia de Hiſpanorum peculiaribus obſervari poſſunt.

5. Hodiernum Regnum Hiſpaniæ fundavit Philippus II. qui longe alià ratione gubernandi fuit uſus, quam Pater ipſius Carolus V. Quippe Carolus V. natione Germanus, vitam ducebat perpetuo vagam, modo in Germanià vel Belgiô, nunc in Italia, Hiſpaniâ,

Africà, aut Galliâ; omnium populorum linguis, moribus & veſtitu utebatur, facili inſuper ingenio, nec adeo obnoxius conſiliis Sacerdotum, unde ſub ipſo qualiscunque tranquillitas. At vero Philippus filius ipſius totus erat Hiſpanus, Princeps melancholicus & aſper,& qui non marte ſed arte feroces populos volebat imperio premere, unde exoſus Germanis, inviſus Belgis, per ingentia bella fatigavit Europam, ſed plus ſibi quam aliis damni intulit. Quippe ab hac origine profectum fuit bellum Belgicum, quod totam Monarchiam Hiſpanicam concuſſit, & tenues has Provincias ad eam magnitudinem pervexit,ut ſuperiorem nullum neque æqualem agnoſcant. De quo videatur Strada lib. 1. Ac fatendum eſt, Philippum graves errores in ea re commiſiſſe,quod populum liberum ſeveritate edictorum & atrocibus ſuppliciis eò deſperationis adegit, ut profeſſi fuerunt Batavi, malle ſe,perfoſſis omnibus aggeribus, & incenſis urbibus potius ſubmergere & perdere ſuam patriam,& maria deprædari,ac ſe in naves conjicere, quam unquam ſe Hiſpanis iterum ſubmittere. Ita tandem

dem Philippus III. ad inducias petendas fuit adactus. Philippus IV. toti cauſæ ac bello renuntiare hanc Rempublicam pro liberâ in omnibus agnoſcere, & cum illa æternam pacem inire, poſtquam bellum duxiſſet Octoginta annos.

De Politica Galliæ.

1. Siquis omnia contraria Hiſpanis animo concipiat, is haud multum aberrabit à Gallorum Politica: quantum enim illi deficiunt lentitudine, & ineptâ gravitate, tantum hi excedunt præcipitantiâ & facili levitate, adeo quidem, ut levitas Gallorum proverbio locum dedit, quam & linguâ, & geſticulationibus corporum & veſtitu, & omnibus actionibus teſtantur. Diu autem Galli ab Hiſpanis circumventi fuerunt ſub Regibus Franciſco I. Henrico II. Franciſco II. Carolo IX. Henrico III. donec tandem emerſit Henricus IV. qui primus Galliam fraudibus Hiſpanorum fere everſam, iterum compoſuit, ac ad eam magnitudinem produxit, quâ hodie primum in Europâ locum obtinet; Ab eo tempora hæc perpetua

Gallorum regula fuit , in omnibus ſe opponere Hiſpanis. Sicut igitur Hiſpanorum ſuprema lex eſt , unicam Religionem Catholicam propugnare , ita Gallorum contrarium ſtudium eſt , Proteſtantes , ſive , ut vocant Hæreticos defendere, neque pati ut Hiſpanus prætextu Religionis Catholicæ ſuam potentiam augeat. Quo quidem unico fundamento, omnes Hiſpanorum conatus facti fuerunt irriti. Ac propterea Rex Galliæ ſanctiſſimum ſemper fœdus coluit cum Proteſtantibus Germaniæ, & Republicâ Belgicâ ac Helveticâ, neque pati voluit , ut in poteſtatem Hiſpanorum redigerentur. Præcipue autem Politica Gallica , à duobus illis magnis Miniſtris Cardinale Richelio & Mazarino fuit certis quibuſdam fundamẽtis ſtatuminata, ita quidẽ ut hodie regnum illud ditiſſimum & florentiſſimum cenſeatur promotis uſque ad Rhenum limitibus, magna Belgii parte occupata ; Rege ipſo in flore ætatis & pleno ingentium deſtinationum.

De Politica Germaniæ.

1. Hujus gentis ſicut ingenium in-

ter Gallos & Hiſpanos eſt medium, ita utrorumque & virtutes & vitia poſſidet. In conſiliis Germani confuſi potius quam lenti, ſemper deliberantes, & rarò vel nunquam exequentes. Imperatorem, niſi quantum coguntur, vix agnoſcentes, diviſi ut Religionibus, ita familiarum & Principum æmulatione. Cætera ſi communi conſenſu regantur, ac eadem velint ac nolint, ſine dubio reliquis omnibus populis ſuperiores. Imperatoris is præcipuus ſcopus eſt, ut familiam Auſtriacam in Imperio continuet, ac Proteſtantum potentiam quantum poteſt infringat. Sed Principes præſertim Proteſtantes auxilio præſertim Regum exterorum, ſeſe huic Auſtriacorum conatui graviſſimo triginta annorum bello, ſe oppoſuerunt, ita tamen ut Pace Monaſterienſi firma concordiæ in Germania fundamenta poſita fuerint Religionis libertate in ſolidum reſtitutâ, & Principibus redditâ ſua authoritate, ita quidem ut hodie non niſi à Turcis periculum ſit, quorum ingruens per Hungariam & Tranſilvaniam potentia haud levem Germaniæ terrorem incutit, quamquam ſi a-

nimus ſit concors haud difficulter robore militis Germanici poſſunt repelli; ſed ad id requiruntur Comitia, lentum in Germania opus, & propter innumeras Principum inter ſe controverſias haud parum intricatum.

De Politica Italiæ.

1. Communis Scopus omnium Italorum duplex. Primo præcavere ne Italia perveniat in unius poteſtatem. Secundo, excludere tranſmontanos, Germanos & Gallos. Hinc Reſpublica Veneta, Magnus Dux Hetruriæ, Papa Romanus & Rex Hiſpaniæ, tanquam præcipui Italiæ Domini, mutuo ſe metu coërcent, neque patiuntur, ut inter quatuor quaſi elementa Italica unum vel alterum prævaleſcat; Nam ne Hiſpanus totius Italiæ fiat Dominus, quod ipſi facillimum eſſet, quippe tenenti Regnum Neapolitanum, Ducatum Mediolanenſem, & præcipuos littorum tractus ſolus Rex Galliæ obſtat, qui ſe Defenſorem, ſive Protectorem Principum Italiæ profitetur; Unde quotieſcunque vel Galli vel Germani tranſeunt Alpes, tunc Hannibal &

ad

ad portas, & tota Italia trepidat: ſemper enim Italis exitioſum fuit Tranſalpinas nationes admittere. Quæ enim terribilior fuit Romæ ſpoliatio, quam quæ contigit Anno 1522. Cum Galli, Germani & Hiſpani eam impetu cepiſſent. Et recens eſt memoria expugnatæ à Cæſareanis Marituæ, quod factum Anno 1629.

5. Procul dubio per Italiam potentiſſima ac prudentiſſima eſt Reſpublica Venetorum, in qua antiquæ Romæ Majeſtas reſidet. Hæc Reſpublica per duocedim ſecula incorruptam libertatem & poteſtatem conſervavit, terra pariter ac mari præpotens, & quod præcipuum ac peculiare privilegium Ariſtocratiarum eſt, inexhauſtis opibus gravis. Sola hæc urbs omnes Imperatores & Reges ſpernit ipſo naturæ ſitu, quippe medio undique mari cincta, inexpugnabilis. Quis non miretur ſolam & ab aliis deſertam jam per viginti duos annos arma Turcica ſuſtinuiſſe, neque modo defendere Candiam, ſed ipſi Conſtantinopoli, captâ Inſulâ Tenedo, terrorem & arma propius admoviſſe, ac pleraque littora, & inſulas maris Mediterranei ſibi tributa-

rias reddidiſſe. Quapropter Reſpublica Veneta hodiè præcipuum quaſi ſpeculum perfectæ Reipublicæ cenſetur. Jam quod ſpectat Ducem Sabaudiæ, is quaſi Janitor Italiæ, Alpium anguſtias, & ſubjectas valles poſſidet, inter duos potentiſſimos æmulos Hiſpanum & Gallum, tanquam medius utrique præda, ſive hoſtis, ſive amicus collocatur. Eadem ipſius conditio, quæ pinguis carnis vel oſſis inter duos prægrandes moloſſos, quorum alter alterum mutuo rictu & terrore à devorando abſterret. Sed in univerſum Duci Sabaudiæ magis neceſſaria amicitia Gallorum quàm Hiſpanorum. Hiſpani enim potentia per Italiam eſt æqualis, ſed ex Gallia paucis menſibus funditus everti poteſt. Ita Franciſcus I, Henricus IV, Ludovicus XIII fulminis inſtar breviſſimo tempore totam Sabaudiam expugnarunt, quamquam propter aſperitatem & munitiones locorum incredibile videretur. Ita tandem Duces Sabaudiæ experientiâ docti didicerunt præferre amicitiam Gallorum pręe Hiſpanis, neque hoc infeliciter illis ſucceſſit.

3. Quod ſpectat magnum Ducem Florentiæ, is in meditullio Italiæ ſitus,

terrâ

terrâ marique inaceſſus, opibus inſuper prę aliis potens, jam per centum & amplius annos in pace degit, niſi quod interdum cum Papa Romano rixetur: ita ut inter omnes Principes judicari poſſit feliciſſimus & qui ſuis opibus contentus, aliorum furores & veſaniam ſecurè deſpicit.

4. Reliqui per Italiam Principes, ſunt veluti ſtellæ minores, ſed quarum conjunctionem potentiores ægrè aſpiciunt. Dux Mantuæ, Parmæ, Mutinæ, objectum potius bellorum & contentionum, quàm pars ſunt, ac pro lubitu Gallorum ac Hiſpanorum ſuas controverſias de quibuſdam locis in Theatro Martiali exhibēt, depoſituri perſonam ac odia & prętenſiones, quàm primum placuerit magnis illis Hiſtrionibus.

Sunt præterea duæ parvæ Reſpublicæ Genua & Lucca, quæ Pluto potius quàm Marti ſua ſtudia conſecrarũt. Prçcipuè Lucca, quamquã in perpetuo metu Ducis Hetruriæ verſetur, tã prudenter & tranquillè tamẽ degit, ut ejus in hac rerũ humanarũ confuſione quaſi memoria perierit. Illuſtrior & potentior Genua, ac quæ interdũ prodire in Theatrũ audet Venetorũ imperio æmula,

mula, mox inter Gallorũ & Hiſpanorum mutuas contentiones jactata, & civilibus inſuper furoribus vehementer concuſſa, tandem ſecuritatem, divitias & otium, bello & periculis ante habuit, & theſaurarium quaſi Europæ exhibuit cum Rex Hiſpaniæ ſuas opes nullis fere aliis, quam Genuenſibus concrederet, neque quicquam aliud metuendum illis eſt niſi ſuo lucro ſpolientur. Tanta autem eſt illorum avaritia, ut vix quiſquam inperare ipſis velit. Certe Reges Galliæ aliquoties facti Genuæ Domini mox illis quaſi ſponte nuntium remiſerunt. Ligurum perfidia ab antiquiſſimis temporibus ad noſtram memoriam proverbio locum fecit.

De Politica Helvetiorum & Batavorum.

1. Duæ potentiſſimę Reſpublicæ, utrumq; Germaniæ latus claudunt, Helvetia & Confœderatæ Provinciæ, potentiâ & natura locorum formidabiles, ſed in omnibus quæ Italum ſpectant contrariæ. Quippe Helvetia ſcopulis & inacceſſis montibus; Belgium

Fœderatum paludibus & maribus clauditur. Illa dominatur montibus, hæc Oceano, & natura illos propter terras; hos propter maria produxiſſe videtur. Helvetii poſtquam ſemel ſervitutem depulerunt, diuturna pace locupletati mercenariam militiam exercent, corpora ſua & vitam exteris Regibus vendendo; ita, qui domi ſunt liberi, foris ſerviunt. Contraria plane Belgarum ratio, qui & domi & apud exteros incorruptam libertatem ſervant, ac arma ſemel capta, nunquam, ne pace quidem deponunt, ſummam ſecuritatem in eo ponentes, ut ſemper terrà marique contra omnem vim ſint inſtructi. Præcipuus ſcopus Belgarum eſt, defendere libertatem maris, neque pati ut mercatura vectigalibus opprimatur aut à Regibus in privatum quęſtum vertatur, ac proculdubio totius generis humani defenſores vocari poſſunt. Quippe qui pulcherrimum illud donum conciliant, ut homines longe lateq; diſperſi ſecuro commerciorum vinculo jungantur. Neque vero acrius ſtudia horum populorum exardeſcunt, quam ubi de maribus purgandis & aperiendis agitur. Senſit hoc Chriſtia-

nus

nus IV Rex Daniæ, neſcio quibus conſiliis actus, cum liberam per mare Balthicum navigationem turbaret, neque ad juſtas Belgarum inſtantias, prout exſpectabatur, reſponderet, repentè fulminis inſtar oppreſſus, cum de ſuò ſtatu periclitaretur, Mare Balthicum liberum eſſe juſſit. Atque hoc Belgarum ſtudium jam per multa ſecula duravit. Quippe cum Civitates Hanſeaticæ ſive Vandalicæ aliquando Hollandis navigationem Balthicam vellent præripere, ſoli Hollandi contra Oſterlingos ut vocantur, bello ſuſcepto totum illud mare brevi tempore ita à Pyratis purgarunt, ut ſecum ubique navigantibus eſſent itinera, in quem finem ſingularium navium malis præfixerunt ſcopas innuentes ſeſe mare veluti ſcopis, ab omnibus vexationibus purgaturos. Crebræ Belgarum & Anglorum propter liberam piſcaturam fuerunt controverſiæ, quæ hodieque perdurant. Regis Galliæ amicitia imprimis huic Reipublicæ eſt commendata. Quippe in quo conſtantiſſimum habuerunt amicum, ac durante bello Hiſpanico, potentiſſimum auxiliatorem. Neque ulla po-

tentia humana, conjunctam cum Belgis Galliam percellere poteſt, nam cum Galli prævaleant terra, ſi Claſſes Belgarum accedant omnibus aliis, ſi non ſuperiores ſaltem pares cenſentur. Præcipuum vinculum harum Rerumpublicarum eſt domeſtica concordia. Unde etiam pro Symbolo his verbis utuntur: Concordia res parvæ creſcunt, diſcordiâ maximę dilabũtur.

De Politica Anglorum.

1. Britannia undique ab Europa Oceano ſecluſa, parvum quaſi orbem terrarum conſtituit, neque opus haberet aliorum amicitia, niſi ad eam commercia & humanitas impellerent. Sed adeò varium eſt illius populi ingeniũ, & ab uno extremo ad alterum proclive, ut quales ſint, vel quid velint vix ipſi norint, ſibi pariter aliisq; moleſti. Proprium hoc ſemper fuit Anglorum, magna, impoſſibilia & abſurda petere, ſed poſt inanes rixas minimo vel nullo contentum eſſe, quod ipſi valde generoſum ac ſubtile eſſe putant. Exempla frequentiâ apud Froſſardum & Commineũ extãt. Præcipua mari potẽtia eſt neq; dubitari debet, Anglos in re navali Duca-

Ducatum obtinere procul dubio futuri maris Domini, niſi Belgarum æquilibrio jus Gentium defenderetur. Jam per centum annos excluſi fuerant continenti Europæ,ibique cum malo fato iterum ſedes Dunkerkæ poſuerant , procul dubio moleſti Flandris & Gallis hoſpites ; neque facile iniri ratio potuit,quomodo in ſuam Inſulam poſſent ablegari. Nam ipſa natura oſtendit penitus toto diviſos orbe Britannos,nuſpiam tranquillius, quam in ſua patrià agere. Antiquæ inter Anglos & Gallos æmulationes ſunt,ac olim Gallorum flagellum Angli fuerunt, quanquam ex tot victoriis ne terræ quidem pedem retinuerunt,acGalli quanquam ſemper victi, non amiſſa tantum recuperarunt , ſed ipſis Anglis Normanniam & Aquitaniam eripuerunt. Ac ante centum annos urbem quoque Caletum,quæ ſola adhuc erat in poteſtate Anglorum receperunt , ac Anglos ab omni continenti iterum in ſuam Inſulam pepulerunt. Rogati à Gallo cum diſcederent Angli , ecquando in Galliam reverſuri eſſent , haud abſurdè reſponderunt; Tum temporis revertemur , quando veſtra peccata majora

erunt

Digitized by Google

erunt quam noſtra. Reverſi igitur anno 1658, præcisè poſt centum annos, ſed quo cum ſucceſſu, quia controverſia adhuc pendet hoc anno, experientia oſtendet.

De Politica, trium Regnorum Septentrionalium.

1. Horum præcipuus ſcopus eſt, antiquam illam conjunctionem quocunque modo reſtituere, ita ut totus Septentrio in unum corpus & imperium redeat. Hanc conjunctionem ante tria ſecula feliciter perfecit Margareta, quę per conjugium Daniam & Norvegiam conjunxit & armis Sueciam, capto Rege Alberto, in hoc fœdus conſentire coëgit, quod in Comitiis Calmarienſibus ratum habitum & confirmatum fuit, his conditionibus ut impoſterum, unus eſſet Rex Daniæ, Suecię & Norvegiæ, iſque alternis ſuffragiis Danorum & Suecorum eligeretur. Ita ſex ordine Reges tria hæc regna conjunctim tenuerunt, ſed non abſque multis querelis, cum Dani affectarent primatum & Sueci illum perferre nollent, unde res iterum ad arma devenit, ac Sueci modo

modo peculiares iterum Reges, modo Gubernatores ſibi eligere cœperunt. Donec tandem à Chriſtierno II prorſus debellati, antiquum illud conjunctionis fœdus inſtaurarunt, quod factum circa Annum Chriſti 1520, ita ut totus Septentrio in unam Monarchiam redactus impoſterum feliciſſimus videretur. Sed mox Chriſtiernum omnes infernales furiæ ita exagitarunt, ut poſt admiſſa in Suecos atrociſſimæ Tyrannidis & perfidiæ exempla, communi trium populorum conſenſu omnibus Regnis expelleretur, atque ab eo tempore abolitum fuit illud de conjunctione fœdus, ac Dani ſimul & Sueci inito contra Chriſtiernum Tyrannum exulem fœdere peculiares ſibi Reges elegêre.

2. Neque tamen conſtans fuit hæc voluntas. Quippe depulſo Chriſtierno II, mox antiquæ illæ rixæ fuerunt renovatæ quæ in atrox bellum eruperunt, inter Fridericum II & Ericum VIII, quod per octo annos magnis utrimque cladibus geſtū fuit. Quæſtio erat de tribus Coronis, quibus Rex Daniæ utebatur, idque tanquam in præjudicium ſuum factum Sueci ferre nolebant.

bant. Deinde inter Chriſtianum IV & Carolum IX iiſdem ferè de cauſis odia renovata fuerunt. Cum Dani conquererentur Suecos in Norvegiæ & Finmarchiæ quaſdam partes ſibi juriſdictionem arrogare. Sed hæc quoque controverſia paulo poſt ſedata fuit. Poſtea duplex adhuc bellum ſucceſſit, ſed ferè aliis de cauſis, donec tandem ultima pace omnes illæ controverſiæ componerentur, induſtriâ imprimis Gallorum & Belgarum, qui etiam pacis ſponſores facti fuerunt.

3. Tot cladibus mutuò caſtigati deprehenderunt mutuam ſibi pacem præ bello eligendam, ac apud exteros potius arma circumferenda quam domi. Præcipuè Danorum intereſt, ut Fretum Sundanum in poteſtate retineant neque iniquis vectigalibus exterorum in ſe odia concitent; Batavorum igitur & Hanſeaticorum amicitia ipſis non modo utilis, ſed etiam perneceſſaria videtur. Et quia, neſcio quo fato, his poſtremis bellis ferè ſemper inferiores fuerunt, ab armis quantum fieri poteſt, abſtinere, nec fortunam amplius laceſſere, ſed potius aliorum inter ſe bella aſpicere, ac ſuo inter-

interventu temperare pręcipuum illorum erit conſilium. Ita exhauſtum ærarium & afflictæ opes incolarum mercaturâ & pace reſurgent.

Suecorum peculiaris in eo conſiſtit ratio, quod rebus Germaniæ & Poloniæ turbatis, ipſi ſibi vix à partibus temperare poſſint. Nam poſtremo bello quaſi protectores Proteſtantium in Germania facti fuerunt, qui eos pręcipuè reſpiciunt, ſi quando à Cæſare opprimantur.

De Politica Poloniæ.

Polonia his poſtremis annis theatrum atrociſſimorum bellorum fuit, quorum ſi non cauſa tamen prætextus ac initium fuit inanis titulus, quem Poloni in Regnum Sueciæ uſurpant. Neque facile dici poteſt quâ ratione ſtatus illa gens gubernetur, cum in comitiis pleraque tumultuosè & per factiones turbentur, ac ipſa decreta ferro reſcindantur. Neque ea hoc ultimo bello Polonorum reperta fuit potentia, quam vulgò jactabant, paſſi Suecos totum Regnum ferro & igne vaſtare, etſi quando prælium juſtum commit-

teretur

teretur inferiores, nec niſi ex inſidiis ac repentino incurſu metuendi. Nunc etſi bello Suecico liberati, atrocius inter ſe diſcordant, in duo civilia caſtra diſtracti, & exteros utrimque ad auxilia ſollicitantes. Comitiis inter utrorumque minas fluctuantibus, ita ut extremam Regno illi ruinam imminere prudentiores haud vane metuant, præſertim ab inſtantibus, & veluti certæ prædæ inhiantibus Moſcovitis, Coſaccis, Tartaris & Turcis. Accedit ſemper ſuſpecta Poloniæ vicinia Auſtriaca, & aurum Gallicum, quo factiones tanquam pabulo aluntur, neque Suecorum ſecura amicitia: Neque alia ſuperſunt tantorum malorum remedia, niſi hæc. Primò, ut antiquæ Regni Leges in uſum revocentur, ſublatis quæ irrepſerunt graviſſimis abuſibus. Secundò, ut libertas conſcientiarum ac Religionum denuò ſtabiliatur, neque tanta clero, præcipuè Jeſuitis, potentia relinquatur. Tertiò, Ne ſucceſſorem vivo adhuc Rege eligant. Atque de his omnibus, nunc vel concilio vel bello diſceptarunt, quo ſucceſſu exitus docebit.

De Politica Gentium Barbararum.

1. Hactenus nationes cultas, quæ ad Politicam potiſſimum ſpectent & obſervari debent, perſecuti ſumus, reſtat ut etiam de Barbaricis quædam addamus, quales ſunt Moſcovitæ, Tartari, Turcæ, Perſæ, Indi, Chinenſes, Japonenſes, In America Chilenſes, In Africa Abyſſini, & Mauritani.

2. Moſcovitarum proprium eſt, domi populos ſuos in ſumma ignorantia & duriſſima ſervitute continere, ac Religionis Græcæ acerrimum ſe profiteri confeſſorem ac Protectorem. Ita enim ſpes ipſi manet, deſtructâ Turcarum potentiâ Chriſtianos Græcam Religionem profitentes, non alium ſibi delecturos. Quapropter alias quidem omnes Religiones tolerare debent, ſola Romano-Pontificia excepta, quam, tanquam ſibi exitioſam, nuſquam in ſuo imperio patitur. Hoſtes alios non habent, quam Tartaros, Polonos & Suecos.

Maxi-

Maxime autem metuendi Tartari, quos, quacunque ratione donis & pecunia placare debent, cum bello eos perſequi ſit inutile: Utiliſſima ei eſt amicitia Regis Perſarum, per cujus ditionem mercaturam Indicam exercere poſſunt, adeòque terreſtri itinere prætioſiſſimas Orientis opes in Europam deferre.

3. Tartarorum eſt, perpetuis incurſionibus vicinos populos vexare, ac imprimis ingentem hominum multitudinem in ſervitutem abripere; unde & debilitentur alii, & ipſi acceſſione tot mancipiorum robur ſuum augent, & ingentem pecuniam ex redemptione vel venditione colligunt. Nuſpiam enim copioſior hominum mercatura, quàm apud Tartaros exerceetur.

4. Turcarum præcipuus ſcopus eſt, ſolam familiam Ottomannicam cæteris omnibus extinctis vel oppreſſis conſervare, ac præſertim Baſſas ſive Regnorum præfectos præſenti ſupplicio vel minimum ſuſpectos coërcere, ac quo quiſque major eſt, eò magis ipſi infenſum eſſe. Præcipue coërcenda eſt Janizarorum inſolen-

ſolentia, ac ſi fieri poſſet penitus illud militiæ genus eſt abolendum, quandoquidem jam duos Imperatores ſtrangularunt, ac frequentibus tumultibus, imperare potiùs, quàm obedire volunt. Quapropter crebris bellis præſertim procul à Conſtantinopoli ſunt atterrendi, ac ad priſcam diſciplinam reducendi. Nam domi propter otium & luxum effeminantur ac inſoleſcunt. Solent etiam Turcæ præcipua munia, non aliis quam Chriſtianis Apoſtatis concredere, quod illos ſibi fideliſſimos & Chriſtianis infenſiſſimos experiantur. Secundum illud, omnis Apoſtata eſt oſor ſui ordinis.

5. Perſarum Politica imprimis in eo conſiſtit, ut ſe acerrimos hoſtes Omariſtarum, Turcarum & Tartarorum, ac ſummos defenſores Aliſtarum oſtendant. Ita enim omnes, qui Religiones Alis per Imperium Turcarum ſectantur ſibi conciliarunt, Amicitiam quoque & fœdus cum Chriſtianis maximè vero Moſcovitis & Germanis colere debent, ad Turcicam potentiam ab omni latere coërcendam. Præfectos eadem ſeveritate quâ Turca in officio continet. Bella

non pro dilatando ſed conſervando imperio gerit, cum militia Perſica ad longinquas expeditiones non ſit idonea. Mari quoque nullæ Perſarum vires, quare Anglorum & Batavorum claſſibus contra Turcas & Luſitanos utuntur.

6. Inter Indorum Reges longe potentiſſimus cenſetur Magnus Mogol, cujus præcipuus ſcopus eſt repellere Tartaros & Perſas, ac domi in officio continere Rasbutos, antiquos Indorum Regulos, qui paſſim per totam Indiam diſperſi creberrime tumultuantur. Nullum Magno Mogoli niſi à domeſtico diſſidio periculum, quemadmodum nuper inter quatuor filios defuncti Imperatoris contigit, qui tamdiu bello lacerarunt Indiam donec unus ſuperſtes, reliquis fratribus cæſis, iterum ſolus dominaretur.

7. Politica Chinenſium in eo conſiſtit, ut Tartaros ab irruptione prohibeant, ac propterea murum ſuum perpetuo ac firmiſſimo præſidio cuſtodiant. Quam primum enim Tartari illum murum ſuperant, tunc tota China periclitatur, neque aliunde ipſis ruina imminet. Quemadmodum noſtro

tempore conſpectum, ubi Chinenſes neglectâ hac curâ, ac Tartaris ſemel admiſſis totum imperium amiſerunt.

8. Japonenſium proprium eſt, exteras Religiones, imprimis Chriſtianam ſtrictiſſimè prohibere. Cum enim illa natio ſit admodum ſagax, facile capitur peregrinis religionibus, præſertim vero Chriſtianâ, quæ ipſorum Idololatriæ è diametro adverſatur. Sed Imperatores metuentes inde mutationem, omnes novos Chriſtianos, quorum numerus erat immenſus, interfecerunt, ac Chriſtianos edicto excluſerunt, ſic tamen ut mercatoribus, dummodo nihil in Religione moliantur, liber acceſſus pateat.

9. Chilenſes in America Ariſtocratica forma gubernantur, & unica natio ſupereſt, quæ bellum contra Hiſpanos gerat. Ipſorum eſt cum exteris nationibus præſertim quæ Hiſpanis ſunt infenſæ, fœdus inire ut arma Europæa accipiant. Nihil enim illis ad bellum gerendum deeſt quàm arma.

10. Mauritani in Africa, cum Regibus Hiſpaniæ & Luſitaniæ amicitiam colunt, propter metum imminentium

nentium Turcarum. Cætera perpetuis inter ſe diſſidiis & bellis ita colliduntur, ut exterarum rerum exiguam curam habere poſſint.

11. Abyſſini, olim potentiſſimi hodie obſcurâ tantum famâ nobis noti ſunt. Perpetuò luctantur cum Turcis, Arabibus, & Afris. Eorum eſt amicitiam colere cum Luſitanis, & ex Europa ſibi petere arma ac Duces militares: quemadmodum nuper quidam Gallus Maſſilienſis Abyſſinos ita armis militaribus inſtruxit, ut exiguis copiis maximos hoſtium exercitus profligarent.

12. Atque hæc præcipua ſunt Imperia, Regna, & Reſpublicæ, quorum hodie in Politica eſt uſus, de quibus qui ex profeſſo ſcripſerunt, prolixius videri poſſunt, nobis ſatis fuit ſumma delibaſſe capita, ac illa, quæ frequentiſſime occurrunt breviter annotare. Sequitur nunc, ut quædam, quæ ad Hiſtoriam Politicam ſpectant, adjungamus.

HISTORIA POLITICA.

De Hiſtoria Antiqua.

HIſtoria Politica præcipuè complectitur illas hominum actiones, quæ circa negotia Reipublicæ verſantur, & talis diſtinguitur in Quatuor Monarchias, Aſſyriacam, Perſicam, Græcam & Romanam. Et hujus uſus non adeò magnus eſt in Politica, præſertim verò rerum vetuſtiſſimarum, de quarum fide haud parum dubitari poteſt. Ideo ex Aſſyriorum hiſtoria nihil memorabile occurrit, niſi quæ de Nino, Semiramide & Sardanapalo commemorantur. Hiſtoria Perſica à Cyro ad Darium Codomannum jam exploratior eſt. Antiquæ Græcorum res uſque ad tempora Philippi Macedonis ſunt vel fabuloſa, vel exigui momenti, ac nihil fere memoriæ dignum complectuntur, niſi quatuor illa bella civilia. Meſſenium, Peloponeſiacum, Thebanum & Phocenſe ſive ſacrum. Philippi & Alexandri Magni res imprimis memorabiles ſunt, præſertim quantum ad militiam ſpectant. Poſtea divi-

diviſo Imperio Macedonia in Regna Ægypti, Siriæ & Macedonię vix quicquam generoſi occurrit, ſed domeſtica tantum flagitia & degeneres Principes reperiuntur. Jam Romanorum res quod ſpectat, illæ diu fuerunt exiguæ, uſque ad bella Punica: poſtea ampliſſimæ evaſerunt, condito per Aſiam, Africam & Europam imperio maximo, unde inſignia exempla & prudentiæ civilis, & fortitudinis bellicæ peti poſſunt, præcipuè tamen ex hiſtoria Julii Cæſaris, Auguſti ac Tiberii, poſt quos plerumque vitioſiſſimi Imperatores fuerunt, paucis exceptis melioribus, quales erant Veſpaſiani, Trajanus, & quidam alii. Ita tandem Romanum quoque Imperium primò quidem diſtractum fuit in duas partes Orientis & Occidentis, deinde verò plane deſtructum & deletum. In Occidente quidem à Germanis, Sarmatis & Hunnis. In Oriente à Turcis, Tartaris & Saracenis. Atque ita hiſtoria antiqua ſummatim ſeſe habuit, ex quâ, quæ præcipuum uſum in Politica habent, Hugo Grotius in libris de Jure Belli ac Pacis oſtendit, qui non niſi ex antiquiſſimâ hiſtoriâ exempla profert,

omiſſis in textu recentioribus exemplis, quarum tamen quædam in Annotationibus producuntur.

De Hiſtoria Recentiori.

Præcipuus igitur uſus hiſtoriæ Politicæ conſiſtit in recentioribus. Unde autem incipiat recentior hiſtoria videndum eſt. Certè non aliunde rectius quam à deſtructione Imperii Romani & origine illorum Imperiorum ac Regnorum, quæ hodieque per orbem terrarum florent. Sed quia illa non uno eodemque tempore ſimul ſed ſucceſſivè emerſerunt, hinc diverſa quoque recentioris hiſtoriæ ſunt tempora. Antiquiſſimum Regnum cenſetur Francicum quod circa annum Chriſti 400. cæpit. Illud proximè ſequuntur Regna Anglo-Saxonum, Gothorum in Hiſpania, Longobardorum in Italia. Imperium Germanicum cæpit anno Chriſti 800, paulo poſt circa annum 1000 Turcarum & Tartarorum potentia emerſit. Atque ita de aliis quoque judicandum eſt. Igitur recentior hiſtoria ab Anno Chriſti 400 initium ſumit.

mit. Ea iterum dividitur in tria intervalla ſive periodos. Primum intervallum eſt, ab anno Chriſti 400. ad 800. & complectitur primordia horum regnorum. Secunda periodus eſt, ab anno 800. ad 1500. Tertia complectitur res ab anno Chriſti 1500. ad noſtra uſque tempora, atque hæc poſtrema pars omnium maxime utilis & neceſſaria Politico eſt, quippe quo continetur ſtatus recentiſſimorum temporum, ac mundi hodierni. Ideo cum obiter priora illa delibaſſe ſufficiat, in poſterioribus majori opus & ſtudio ac apparatu. Nam priora illa non adeo accurate noſcere haud magni refert, at vero recentiſſima non ſine opprobrio ignorari poſſunt. Turpe enim eſt ignorare jus ejus civitatis, in qua quis vivit.

De Hiſtoria Francorum.

Tres fuerunt familiæ Regum Francorum, Merovinga, Carolinga & Capetinga. Merovinga denominatur à Rege Meroveo, qui Lutetiam

Pariſiorum occupavit, & contra Attilam Regem Hunnorum in campis Catalonicis pugnavit. Quintus Rex Francorum fuit Clodoveus, ſub quo Franci fidem Chriſtianam ſuſceperunt, inde Reges vocantur Chriſtianiſſimi, & primogeniti filii Eccleſiæ. Complectebatur tum temporis Regnum Francorum magnam Germaniæ partem, ſub titulo Auſtraſiæ, ſed poſteriores ex Merovingis Reges in ſocordiam collapſi crearunt Majores Domus, penes quos tota adminiſtratio Regni fuit, ipſi otio & voluptatibus indulgebant, unde in contemptum & odium delapſi ſunt, & ultimo ex Merovingis Chilberico in Monaſterium detruſo, Rex creatus fuit Pipinus, qui condidit ſecundam familiam Regum Franciæ Carolingorum, quæ ita dicta eſt à Carolo Magno Pipini filio. Atque hic Carolus Magnus, collapſum in Occidente Imperium Romanũ reſtauravit, creatus Cæſar anno Chriſti 800. Atque hæc familia Carolingorum per Galliam, Germaniam, & Italiam latiſſime regnavit. Cæterum inteſtinis diſſidiis breviter fuerunt debilitati, ita, ut omnem potentiam amiſerint. Tertia

fa-

familia Regum Franciæ eſt Capetingorum, qui ita dicti ſunt à Hugone Capeto. Atque hæc dividitur in tres lineas. Prima à Hugone Capeto ad Carolum IV Pulchrum extenditur, quo abſque prole maſcula defuncto, controverſia de ſucceſſione inter Philippum Valeſium & Eduardum III Regem Angliæ fuit exorta, unde etiam diuturnum bellum. Sed Regnum Franciæ obtinuit Philippus Valeſius conditor lineæ Valeſiorum. Sed Galli ingentes ſtrages ab Anglis acceperunt, ita quidem ut Angli ferè totâ Gallia potirentur, ſed ſapientia Caroli II. res reſtitutæ fuerunt. Sub Carolo VI atroces factiones inter Domum Burgundicam & Aurelianenſem exortæ ſunt, quibus Gallia ferè funditus everſa fuit. Quippe Johannes intrepidus Dux Burgundiæ Ludovicũ Aurelianenſem per ſicarios interfecit & ipſe Johannes juſſu Caroli Delphini iterum fuit occiſus. Ita Burgundi Anglos in Galliam evocarunt quorum Rex Henricus V ducta Catharina Caroli VI Filia, excluſo Carolo Delphino, hæres Regni Franciæ declaratus fuit. Ita cum Regno Franciæ actum videbatur, cum puella

quædam

quædam Lotharingica, nomine Johanna, velut ſalutare ſidus prodiit, ac Anglos obſidione Aurelianenſi depulit. Ita Angli denuo totâ Gallia expulſi, nihil præter Caletum retinuerunt: omnium Regum Franciæ calli-diſſimus fuit Ludovicus XI. Qui primus abſolutæ dominationis fundamenta jecit, & occiſo Carolo Duce Burgundiæ Ducatum Burgundiæ recuperavit. Ejus Filius Carolus VIII. occupavit Regnum Neapolitanum & ab eo tempore inter Hiſpanos & Gallos bellum fuit exortum, à quo etiam Thuanus hiſtoriam hodiernam incipit. Ludovicus XII. & Franciſcus I. occuparunt Ducatum Mediolanenſem, ſed mox iterum amiſerunt, & ipſe Franciſcus I. in prælio ad Paviam vel Ticinum captus fuit. Ejus Succeſſor Henricus II. occupavit urbem Metz, ſub cujus tribus filiis Franciſco II. Carolo IX. & Henrico III. exortæ fuerunt illæ inter Ligiſtas & Hugenotas factiones. Sub Carolo IX. perpetrata fuit laniena Pariſienſis ann. 1572. Ultimus ex ſtirpe Valeſiæ fuit Henricus III. à quodam Monacho Jacobo Clemente nullâ relictâ prole maſculâ,

ſculâ, occiſus. Unde Regnum Franciȩ pervenit ad familiam Burbonicam, cujus caput erat Henricus IV. Rex Navarræ, ſed hunc factio Ligiſtarum propter Religionem à ſucceſſione excludere volebant, ſed ipſe factus Romano-Catholicus, armis eorum conſilia diſſipavit, & pacatâ iterum Galliâ, à ſiccario quodam Franciſco Ravalliaco trucidatus fuit, ſucceſſore relicto Ludovico XIII. ſub quo Rupella fuit expugnata, & Gallorum arma per Germaniam, Belgium, Italiam & Hiſpaniam glorioſis victoriis circumlata. Ita hodie ex familia Burbonica tertius regnat Ludovicus XIV. ſub quo, pace cum Hiſpanis initâ hodie Gallia pace fruitur.

De Hiſtoria Hiſpanica.

De primis Hiſpaniæ Regibus, ac variis Regnis, non opus eſt multa commemorare. Id ſatis eſt in univerſum ſcire, poſt Romanos in Hiſpania regnaſſe Weſt-Gotthos, quorum potentia à Saracenis Africanis fuit deſtructa. Inde iterum varia Regna Chriſtianorum per Hiſpaniam emerſerunt,

runt, quorum præcipua quatuor fuerunt, Caſtilia, Arragonia, Navarra & Portugallia, quæ tandem in unam iterum vel duas Monarchias coaluerunt. Id quod hac ratione contigit. Ferdinandus Rex Arragoniæ ductâ Iſabella Filia Henrici IV. Regis Caſtiliæ, duo illa Regna conjunxit. Atque hic eſt ille Ferdinandus Catholicus, qui fundamenta Monarchiæ Hiſpanicæ poſuit. Quippe ſub eo non tantum Regna Navarræ & Neapolis in poteſtatem Hiſpanorum venerunt: Verum etiam novus orbis, quem Americam vocamus, innotuit, ac ab Hiſpanis occupatus fuit, quod factum anno 1492. Author tanti operis fuit Chriſtophorus Columbus Genuenſis, qui cum fruſtrà alios Reges ſollicitaſſet pro novo Orbe detegendo, tandem Ferdinandum & Iſabellam Reges Caſtiliæ permovit, & ab illis inſtructus Oceanum Atlanticum penetravit, neque ante navigare deſtitit quam in novas illas & hactenus incognitas terras incidit, quæ immenſis opibus graves, & à Barbaris habitatæ, unde data Hiſpanis occaſio immenſa terrarum ſpatia parvis copiis occupandi, atque inde tantis divitiis ani-

animati, ſpem V. Monarchiæ conceperunt. Et omnia ab eo tempore Hiſpanorum altis conciliis favere videbantur. Quippe per conjugium Philippi, cum Johanna Ferdinandi & Iſabellæ Filia, Belgicæ Provinciæ, & potentia Auſtriaca Hiſpaniæ conjuncta fuerunt. Ex hoc conjugio nati fuerunt Carolus & Ferdinandus, à quibus hodierni Reges Hiſpaniæ & Imperatores Germaniæ deſcendunt. Atque ita Hiſpanicum Imperium per omnes mundi partes latiſſimè ſe diffudit. Ita quidem, ut Carolus V. Ducatum Mediolanenſem Gallis quoque eriperet, & Germaniam, victis Proteſtantibus debellaret. Hujus Succeſſor fuit Philippus II, qui dum nimia alta molitur, Hiſpanicam potentiam graviter concuſſit, ac omnes Americæ theſauros inutilibus bellis conſumpſit. Quippe ab eo tempore Belgæ, Angli & Galli conjunctis viribus ſe Hiſpanorum ambitioni oppoſuere. Sed fortuna alio loco compenſare videbatur illud damnum, cæſo in Africâ Sebaſtiano Rege Portugalliæ, unde Philippus II, quamquam jure inferior, armis ſibi Portugalliam aſſeruit. atque ita omnia Re-
gna

gna Hiſpaniæ in unum corpus redegit. Sic Hiſpanica potentia ad ſummum faſtigium conſcendit, atque in eo ſtatu permanſit ſub Philippo III. & IV. uſque ad annum 1640. quo Portugalli Caſtiliæ dominationis pertæſi, creato Rege Johanne Duce Bragantiæ defecerunt, atque hoc modo Hiſpania iterum divulſa fuit in duo Regna.

De Hiſtoria Britannica.

Britanniam poſt Romanos occuparunt Anglo-Saxones, eamque in Septem Regna diviſerunt, quæ in unum Angliæ nomen & Imperium Anno Chriſti 800. coaluerunt. Ita Britannicas Inſulas tres tum Reges obtinebant, Anglorum, Scotorum & Hybernorum. Poſt Anglo-Saxones, regnarunt in Britannia Dani. Poſt hos Normanni ex Gallia eam expugnarunt, per Guilhelmum conquæſtorem anno Chriſti 1066. quorum linea & ſucceſſio hodieque durat. Sub Henrico II. Anno Chriſti 1172. expugnata fuit ab Anglis Hybernia, atque ab eo tempore exſtincta fuit Regum Hybernorum ſeries. Sub Eduardo III. Anno Chriſti

Chriſti 1336. exarſit acre illud & longum inter Gallos & Anglos bellum : quippe Eduardus III. jure materno arrogabat ſibi Regnum Franciæ. Contra Philippus Valeſius ſe Lege Salica, quâ fœminæ à Regno excluduntur, tuebatur. Graves deinde controverſiæ & bella civilia ipſos Anglos exagitarunt. Quippe duæ familiæ Eboracenſis & Lancaſtrenſis, quæ etiam vocabantur roſa rubra & roſa alba, pro Regno certarunt. Ac primo quidem Lancaſtrenſes regnum obtinuerunt, ſub tribus ordine Regibus, Henrico IV. V. VI. quibus per vim ſucceſſerunt Eboracenſes Anno Chriſti 1460. ſub duobus Regibus Eduardo IV. & Richardo III. quo ultimo in prælio interfecto, regnum rediit ad familiam Lancaſtrenſem, ac bella illa civilia conjugio Henrici VII. cum Eliſabetha Eduardi IV. filia extincta fuerunt, ac duæ illæ familiæ ſeu roſa alba & roſa rubra coaluerunt. Henrico VII. ſucceſſit Henricus VIII. qui jugum Papæ Romani primus excuſſit, ac omnia monaſteria per Angliam deſtruxit. Poſt hunc regnavit Eduardus Sextus qui Reli-

Religionem reformavit, ſed intra juventam præmaturâ morte ſublatus ſucceſſores reliquit duas ſorores Mariam & Eliſabetham. Maria regnum denuo ſubjecit Papæ Romano, ſed Eliſabetha ejus obſequio iterum valedixit, atque in ea extincta fuit antiqua Regum Angliæ familia, ac Regnum jure cognationis pervenit ad Jacobum VI. Regem Scotorum anno 1603 qui primus Monarcha Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ fuit factus, ac omnes Inſulas Britannicas uno imperio complexus, unde abolitis antiquis nominibus Inſulam vocari voluit Magnam Britanniam. Sub ejus Filio Carolo I. exorta fuerunt bella civilia, quorum is fuit exitus ut aboliti Regni nomine Rempublicam conſtituerent, ſed neque illa diu placuit, itaque tandem Carolum II ab exilio revocarunt, ac omnia in antiquum ſtatum reſtituerunt.

Hiſtoria Germaniæ.

Extincta Caroli Magni Familia, Germani excluſis Gallis Imperium ad ſe tranſtulerunt, electo Conrado Duce Franconiæ, quod factum anno Chri-

ſti

ſti 912. Huic ſucceſſerunt Duces Saxoniæ, Henricus Auceps & tres Ottones. Inde Bavariæ Duces, Henricus II. III. IV. & V. ſub duobus poſtremis Papæ Romani cæperunt jus ſupremum in Imperium ſibi arrogare, & ipſos Imperatores pro lubitu deponere: ſucceſſit familia Ducum Sueviæ, ex quibus fuit Conradus III, ſub quo exortæ factiones Guelvorum & Gibellinorum, quorum illi Papam, hi Cæſarem defendebant. Huic ſucceſſit Fridericus I Barbaroſſa, Henricus VI, Philippus, Fridericus II & Conradus IV. cujus filius fuit Conradinus, ultimus Dux Sueviæ Neapoli decollatus. Poſt Fridericum II. diuturnum illud octodecim annorum in Germania fuit interregnum, donec tandem Anno 1273 Rudolphus Comes in Habsburg Imperator fuit electus qui condidit hodiernam familiam Auſtriacam, & Auſtriam filio ſuo Alberto tradidit. Ei ſucceſſit Adolphus Comes Naſſovienſis. Huic Albertus Dux Auſtriæ, quo, à Patruele ſuo Johanne interfecto, Henricus VII. Luzelburgenſis. Deinde Ludovicus IV Dux Bavariæ & Fridericus Pulcher Dux Auſtriæ. Inde Carolus

rolus IV. & Wenceſlaus Reges Bohemiæ. Rubertus Comes Palatinus. Sigiſmundus Rex Bohemiæ & Hungariæ, ſub quo exortum fuit bellum Huſſiticum propter Johannem Hus à Concilio Conſtantienſi combuſtum. Poſt Sigiſmundum Imperium iterum pervenit ad familiam Auſtriacam anno 1438. & ab eo continua ſucceſſione Auſtriaci imperarunt, quorum ad noſtra uſque tempora recenſentur undecim. Albertus II. Fridericus III. Maximilianus I. Carolus V. Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolphus Secundus, Matthias, Ferdinandus Secundus, Ferdinandus Tertius, & qui hodie imperat Leopoldus. Præcipua autem mutatio Imperii Germanici accidit ſuperiori ſeculo propter Religionem. Cum enim Lutherus & alii ſe Tyrannidi Papæ Romani opponerent, multi principes ac Civitates eorum doctrinam receperunt, ac Proteſtantes impoſterum dici voluerunt. Carolo V. fruſtra Unitatem repellere conante. Capita Proteſtantium erant Elector Saxoniæ & Landgravius Haſſiæ. Tandem ad bellum inter Carolum V. & Proteſtan-

tes

tes deventum eſt, quod vocatur Smalkaldicum, in quo Proteſtantes ſuccubuerunt, & Saxo & Landgravius capti. ita ut tota Germania ſe Cæſari dediderit, ſolâ urbe Magdeburgo exceptâ, quæ proſcripta & obſeſſa fuit. Sed paulo poſt Mauritius Elector Saxoniæ ex improviſo oppreſſit Carolum V. ac totâ Germaniâ expulit. Ita dimiſſi Saxo & Landgravius ex captivitate, ac Pace Paſſavienſi Libertas Religionis Proteſtantibus fuit conceſſa. Ab eo tempore autem erat per Germaniam pax, uſque ad Annum 1618. quo flamma novi bellum iterum erupit inter Cæſarem & Proteſtantes. Cæſar eum Principibus Romano-Catholicis iniverat Ligam Sanctam. Proteſtantes Unionem. Primæ belli ſcintillæ eruperunt proſcriptione Urbis Donawerdæ & deinde bello Juliaco. Cum vero Fridericus Elector Palatinus creatus fuiſſet Rex Bohemiæ, tum inter Ligam & Unionem apertum bellum exarſit. Et quamquam varii ſe opponerent, omnia tamen fuerunt irrita, donec tandem Anno 1629. Guſtavus Adolphus Rex Sueciæ Proteſtantium cauſam ſuſciperet, qui incre-

ncredibili felicitate ac celeritate Cæſari Victoriam eripuit, & omnia Ligæ conſilia diſſipavit. Et quamquam poſt infelix ad Nordlingam prælium fortuna iterum Cæſarem reſpiceret, mox tamen Galli, fractas Suecorum & Proteſtantium partes ſuſceperunt, ac poſt varias clades tandem diuturnum hoc bellum pace Monaſterienſi fuit finitum Anno 1648. in qua libertati Religionis perpetua lege cautũ eſt, omniaque in eum ſtatum qualis ante bellum fuit reſtituta. Inde pax in Germania, niſi quod hodie ob bellum Turcicum nova arma parantur.

Hiſtoria Septentrionalis.

1. Inter tria Regna Septentrionalia conjunctio nunquam fuit ſtabilis, ſed ſemper iterum vel inter tres, vel duos Reges diſtracta fuerunt: Antiquiſſima & fabuloſa tempora repetere non eſt opus, certiora enim in Caroli Magni ætatem incidunt. Ac Norvegiam quod attinet, regnavit in ea ab Anno 878 ad 1388 Familia Harfagerorum, condita ab Haraldo Hartfragero, qui primus Monarchiam in Norvegia condidit,

cæteris

cæteris Regulis vel domitis vel pulſis, quorum multi in Iſlandiam vel Groenlandiam colonias duxerunt. Magnæ deinde excurſiones Norvegorum maxime in Orcades & Hiberniam fuerunt. Ultimus ex hac familia fuit Hako ſive Haquinus qui ducta Margareta Daniæ Regina Norvegiam & Daniam perpetuo fœdere conjunxit.

2. Dania initio ſucceſſivum & hæreditarium fuit Regnum, ac ſub Waldemaro I. late ſe per Wandaliam extendit. Sub Waldemaro IV. qui dictus fuit Reprobus magnæ in Dania fuerunt turbæ, quod Eſthoniam ſive Livoniam ordini Teutonico vendidiſſet, Nobilitatem vexaſſet, ac monetam adulteraſſet. Idem tamen Scaniam & Gotlandiam recuperavit, & ſub eo exortum fuit fœdus Hanſeaticum. Nam cum Civitates Wandalicas vexaret LXXII. Civitates fœdere inito bellum ipſi intulerunt. Idem Papæ nuntium remiſit his verbis: Naturam habemus à Deo, Regnum ab incolis, Divitias à parentibus, Fidem à tuis anteceſſoribus, quam ſi nobis invides, per præſentes remittimus. Hujus Filia fuit Margaretha, Semiramis Da-

norum, quæ tria Regna Septentrionalia conjunxit, & in ejus Filio Olao extincta fuit antiqua familia Regum Daniæ, ac Regnum ad exteros pervenit, quorum primus Ericus VIII. Dux Pomoraniæ. Quo in exilium pulſo electus Chriſtianus I. Comes Oldenburgicus, ſub quo Sueci ab unione defecerunt, idque diſſidium ſub Johanne & Chriſtierno II. duravit, qui propter inſignem Tyrannidem à tribus Regnis communi decreto expulſus fuit. Corruperat hunc Chriſtiernum anus quædam Amſtelodamenſis nomine Sibrita, cujus pulcherrima filia quæ vocabatur Columbula pro concubina utebatur. Atque hinc omnium malorum origo. Quippe Sibrita omnia gubernabat, neque ulla amplius authoritas Procerũ Regni. Theodoricum quendam Weſtphalum opificio tonſorem & Chirurgum, creavit Archiepiſcopum Lundenſem & Gubernatorem Sueciæ, cujus impulſu Chriſtiernus atrocem illam Lanienam in Suecos exercuit. Ad cujus cædis invidiam eluendam Rex paulo poſtea Theodoricum Hafniæ vivum combuſſit. Sed non propterea deletę ex animis Regnicolarum

colarum offenſæ. Unde ab omnibus deſtitutus cum uxore & liberis in Belgium ad affinem ſuum Carolum V. confugit. Inde poſt aliquot annos Regna recuperaturus in Norvegia fuit captus, ac in miſerabili captivitate per 38. annos pro delictis pœnitentiam egit. Dani igitur in ejus locum elegerunt Fridericum I. Ducem Holſatiæ. Quo defuncto magnę iterum inter plebem & Nobilitatem rixæ. Plebs Chriſtiernum II. volebant reſtituere: Nobiles Chriſtianum III. Friderici Filium Regem crearunt. Hafnia ſtabat à partibus Chriſtierni II. ſed fame expugnata, Chriſtianus III. Regnum obtinuit. Ejus Succeſſor Fridericus Secundus magna Nobilitati privilegia indulſit, quæ videri poſſunt apud Johannem Bodinum in libris de Republ. Huic Chriſtianus Quartus & qui hodie regnat Fridericus Tertius, ſub quo magnæ in Dania mutationes acciderunt.

Regum Sueciæ ſeries deducuntur ab Erico Sancto & anno 1150. Secuta deinde Sueciæ cum cæteris Regnis conjunctio, atque iterum avulſio, donec tandem Sueci anno 1523. Regem

elegerunt Ericum Guſtavum, qui Regnum Sueciæ ſucceſſivum ac hæreditarium in linea maſculina fecit. Ei ſucceſſit Ericus, qui propter multa facinora in carcere periit. Huic Johannes Tertius qui Livoniam Muſcovitis & Polonis eripuit. Ejus Filius Sigiſmundus Rex Poloniæ occaſionem præbuit illis diſſidiis, quæ hodieque inter Suecos & Polonos vigent. Unde Regnum delatum fuit ad Carolum IX. cujus filius Guſtavus Adolphus, bello Germanico imprimis clarus, atque hic impetravit, ut Regnum etiam ad fœminas jure hæreditario tranſiret, quemadmodum ei filia Chriſtina ſucceſſit. Et huic, poſt ſpontaneam abdicationem, Carolus Guſtavus Comes Palatinus, cujus hodie Filius adhuc infans ſub tutela Matris regnat.

Hiſtoria Poloniæ.

Familiæ Regum Polonorum diſtinguuntur in indigenas & exteras. Indigenæ fuerunt tres. Prima Lechorum, Secunda Cracorum, Tertia Piaſtorum. His extinctis ſucceſſerunt familiæ externæ Anno Chriſti 1386. quarum

rum prima fuit Jagellonidum condita à Jagellone Magno Duce Lithuaniæ, à quo tempore Polonia & Lithuania in unius Regni corpus coaluerunt. Jagelloni ſucceſſit filius Vladiſlaus III, qui cum Polonia Hungariam conjũxit, & in famoſo illo ad Varnam prælio à Turcis occiſus fuit Anno 1444. Caſimirus Pruſſiam Regno Poloniæ conjunxit. Poſt hunc regnavit Johannes Albertus: Sigismundus: & Sigismundus Auguſtus, in quo familia Jagellonidum extincta fuit. Anno 1575. Poloni primum elegerunt Henricum Ducem Andegavenſem, qui ſexto Regni menſe clam aufugit. Ita electus fuit Stephanus Battorius Princeps Tranſilvaniæ, qui Regnum Poloniæ fortiſſime contra hoſtes defendit. Inde Sigiſmundus III. Johannes III. Sueciæ Regis filius, cujus familia hodieque regnat. Sub hoc inter Polonos & Suecos gravia exarſerunt bella, partim propter Livoniam, partim propter titulum Sueciæ, quo Reges Poloniæ tanquam hæreditario utebantur. Ei ſucceſſit Filius Vladiſlaus IV, qui memorabilem de Moſcovitis ad urbem Smolensko victoriam obtinuit. Poſt

ejus mortem atrocibus Ruſſorum, Coſaccorum & Tartarorum bellis concuſſa Polonia, & inter illos motus electus fuit Johannes Caſimirus, qui hodieque inter varias turbas regnat. Præcipua autem hodie controverſia eſt de ſucceſſore deſignando, diviſis Nobilium familiis, ac in duas factiones ſciſſis, quæ qualem exitum habituræ ſint, dies oſtendet.

Hiſtoria Ruſſiæ.

De primis & antiquiſſimis Ruſſorum Ducibus, non opus eſt multum commemorare. Id ſcire ſufficit Vladimirum circa Annum Chriſti 989. primũ introduxiſſe Religionem Chriſtianam, ſecundum conſuetudinem Græcorum. Hic inter XII. Filios ſuos Ruſſiam in totidem Ducatus diviſit. Unde bella civilia, quæ extingui non potuerunt, donec Ruſſia in unam Monarchiam rediret Anno 1224. Tartari univerſam Ruſſiam ſibi tributariam fecerunt, quæ ſervitus duravit uſque ad Annum 1500. Anno 1324. Georgius ſtruxit Urbem Moſcuam quæ in poſterum totius Imperii caput fuit, unde
Ruſſia

Ruſsia etiam Moſcovia appellatur, Ruſſorum autem potentia præcipue invaleſcere cæpit ab Anno 1500. ſub Duce Johanne, cui ſucceſsit Baſilius, qui imperium uſque ad mare Glaciale & novam Zemblam propagavit, & Polonis Ducatum Smolensko & Pleskoviæ eripuit. Hujus filius fuit Johannes Baſilius famoſus ille Tyrannus, qui duo Tartarorum Regna Caſſan & Aſtracan expugnavit, ac Imperium Ruſsicum uſque ad Mare Caſpium propagavit. Idem atrocia bella in Livonia geſsit, ac deinde in furorem verſus, immanem crudelitatem in ſuos exercuit. Ei ſucceſsit Filius Theodorus Princeps ingenio ſimplici, quo abſque liberis defuncto, accidit mira confuſio in Ruſſia. Quippe Poloni ſubornarunt quemdam impoſtorem, qui ſe Demetrium Johannis Baſilidis Filium jactabat, tanto cum ſucceſſu, ut tota Ruſsia eum pro legitimo ſucceſſore agnoverit. Sed mox fraus detecta fuit, cum Demetrius à Ruſſorum moribus abhorreret, unde conſpiratione Ruſſorum interfectus fuit. Sed mox alii Demetrii hinc inde reſurgebant, & toties interfectus Demetrius ſemper renaſcebatur. Ruſsiam

inter has turbas dilacerantibus Polonis, Suecis, Coſaccis & Tartaris. Ita ut ipſa urbs Moſcua à Polonis direpta & combuſta fuit. Donec tandem Ruſsi, ut finem his miſeriis imponerent, cum fruſtra prius elegiſſent Vladiſlaum Poloniæ, & Carolum Sueciæ Principes, ex ſua gente Magnum Ducem crearunt Michaelem Federovitzium, qui afflictam Ruſsiam pace reſtituit, unica tantum clade in obſidione urbis Smolensko Anno 1634. accepta. Huic anno 1645. defuncto ſucceſsit filius Alexius Michaelovitz, qui urbem Smolensko recuperavit, ac totam fere Livoniam Polonis eripuit, cum Suecis quoque acre bellum geſsit pro Livonia, quod tandem pace finitum fuit.

Hiſtoria Tartarorum.

Tartarorum potentia circa Annum Chriſti 1200. primum emerſit. Conditor vaſtiſsimi hujus Imperii fuit quidam faber ferrarius nomine Zingis Chan, qui totam Scythiam in unicam Monarchiam redegit, ac quatuor exercitibus verſus quatuor mundi plagas emiſsis totum orbem vel occupavit vel

vel perterruit. Pervenerunt tum temporis Tartari uſque in Bohemiam, Sileſiam & Auſtriam & verſus Orientem Indiam ac Chinam expugnarunt. Unde Imperator eorum dictus fuit Magnus Cham: Cæterum paulo poſt inteſtinis diſsidiis collapſa fuit Tartârorum potentia, donec illam Anno 1370. Tamerlanes ex Latrone Imperator factus reſtituit, qui totam iterum Tartariam in unum Imperii corpus redegit, ac Turcarum potentiam, capto Bajazete & in cavea ferrea circumducto, deſtruxit. Sed ejus poſteritas brevi tempore omnia amiſit, ſolâ Indiâ excepta, quæ hodie vocatur Imperium Magni Mogolis, in quo hodieque Tamerlanis poſteritas dominatur. Eſt & aliud Imperium Tartaricum ſupra Chinam, quod vocatur Tartaria Orientalis, & demum exortum fuit circa annum 1600. Hi Tartari Orientales anno 1616. eruperunt in Chinam, ac tandem anno 1644. expugnarunt Urbem Beking, atque exinde totam Chinam per infinitas cædes in poteſtatem ſuam redegerunt.

Hiſtoria Turcarum.

Turcarum potentia demum circa annum 1300. hodierni Imperii fundamenta poſuit Duce quodam Ottomanno, qui magnam Aſiæ Minoris partem occupavit, & Sedem Regni in urbe Bythiniæ Burſia collocavit. Ejus ſucceſſores oppreſsis aliis Turcarum Regulis, ita dilatarunt ſuos fines, ut tandem Amurathes ope mercatorum Genuenſium in Europam trajecit, ac magna parte Thraciæ & Græciæ occupata Adrianopoli ſedem conſtituerit, & ab eo tempore per Aſiam, Africam & Europam longe lateque propagata fuit Imperii Turcici amplitudo. Quapropter contra Turcas incitatus fuit Tartarorum Imperator Tamerlanus, qui Bajazetem ingenti prælio in Galacia ad montem Stellam ſuperavit, ac captivũ in ferrea cavea ſpectaculo circumduxit. Ita funditus deſtructum videbatur Turcicum Imperium. Sed quam primum Tartari in ſuperiorem Aſiam reverſi fuerunt, Turcę iterum è latibulis ſuis emerſerunt ac amiſſa facile recuperarunt. Ita quidem ut brevi tempore

pore poſt Anno 1453. ipſam Conſtantinopolim caput Imperii Orientalis expugnarint,& eam caput totius Imperii conſtituerint. Acceſſit ſub Zelimo I. totum Imperium Mamaluccorum, quod Syriam, Arabiam, Ægyptum & Africę magnam partem complectabatur victo Thomuno Bayo ultimo Ægypti Sultano, quod factum anno 1518 Solimannus inde arma ſua contra Chriſtianos in Europa convertit, ac Inſulam Rhodum & maximam Hungariæ partem occupavit,ac ipſam Viennam acriter ſed fruſtra oppugnavit. Selimus Secundus Inſulam Cyprum,quę ditionis erat Venetę invaſit, & quanquam ingenti prælio navali à Chriſtianis in ſinuCorinthiaco victus, occupavit, ac Thunetum Africæ urbem Hiſpanis eripuit. Atque inde univerſaria Turcis bella contra Germanos & Perſas fuerunt, donec Imperator Oſmannus Secundus arma contra Polonos verteret ſed eum paulò poſt ob res infeliciter geſtas Janizari ſtrangularunt. Ejus Succeſſor Amurates Quartus Babylonem, quæ hodie vocatur Bagdad à Perſis recuperavit. Huic ſucceſſit Ibrahim, ſub quo exortum

fuit bellum contra Venetos pro Inſula Candia, ſed & ipſe à militibus Anno 1648. ſtrangulatus fuit, ac ſucceſſorem habuit Mahumethum Quartum qui hodieque imperat, ac bellum contra Venetos pertinaciter continuat, Hungaricum magno apparatu molitur.

Hiſtoria Perſia.

Imperium Perſicum, quale hodie eſt, fundavit familia Sophorum, ex qua primus Iſmael Sophi anno 1500. Perſiam expulſis Turcis occupavit, ac magna virtute ad Indos uſque propagavit. Ei ſucceſſit filius Schach Thamas, cui Turcæ eripuerunt urbem Regiam Tauris, ac magna exinde inter Turcas ac Perſas bella fuerunt, præcipue ſub Schah Abbas, qui omnia à Turcis recuperavit, ac ſucceſſorem reliquit nepotem ſuum Schah Seffi, cujus facinora & vita in Itinere Perſico Olearii prolixe deſcribuntur, obiit anno 1645. Succeſſore relicto Schah Abbas Secundus qui hodieque regnat.

Hiſto-

Hiſtoria Indica.

Indiam hodie tenent poſteri Tamerlanis,qui vocantur Mogoli. Quippe circa annum 1524 quidam Schah Batur profugus ex Tartaria venit in Indiam, ac ibi miris fraudibus Imperium occupavit, quod poſtea pervenit ad ipſius filium nomine Humajum, cujus Succeſſor fuit magnus & famoſus Acbar, qui per totam Indiam latiſſimè & glorioſiſſimè regnavit. Ei ſucceſſit filius Schah Ziahan, qui longo tempore regnavit, ac ante biennium defunctus,quatuor filios reliquit,ac inter eos Imperium teſtamento diſtribuit, ſed illi inter ſe diſcordes totam Indiam bellis civilibus dilacerarunt, donec tandem cæteris fratribus occiſis, unicus relinqueretur ſuperſtes,ac tanti Imperii Dominus, de cujus nomine ac rebus nihil adhuc nobis conſtat. Sunt & alia per Indiam Regna, ſed mercatoribus potius, quam Politicis cognita, unde de illis tradere multa opus non eſt.

Hi-

Hiſtoria Chinenſium.

Certa notitia Chinenſis hiſtoriæ ante paucos tantum annos Europæis innotuit ex ipſorum Annalibus in linguam Latinam tranſlatis à Martino Martinio, ſed antiquiſſima illorum multis fabulis contaminantur, ideoque omiſſis prioribus poſteriora & certiora tantum perſequemur. Igitur annis ante Chriſtum 246. Xius conditor familiæ Chinæ Monarchiam in China fundavit, ac quindecim illas magnas Provincias in unum Corpus redegit, & eam formam regiminis inſtituit, quæ hodieque perdurat, poſt eum longa ſerie regnatum uſque ad annum Chriſti 1278 quo tempore Tartari totam Chinam expugnarunt & per 90 annos continua poſſeſſione obtinuerunt, donec tandem Anno Chriſti 1370 iterum à Chinenſibus expulſi fuerunt, atque hic ſtatus duravit uſque ad annum 1644, quo Tartari iterum China potiti, & in ea hodieque regnant.

Hiſto-

Hiſtoria Americana.

1. Duo in America celeberrima Imperia fuêre, Mexicanum & Peruanum. Urbs Mexico exſtructa fuit anno 1325, & ab eo tempore latiſſime per Septentrionalem Americam regnarunt Mexicani, quorum ultimus Rex fuit Motenſuma II. ſub quo Hiſpani auſpiciis Caroli V ductu Ferdinandi Conteſii Urbem Mexico expugnarunt, atque ita illo Imperio finem impoſuerunt quod factum anno 1521.

2. Imperii Peruani caput fuit Urbs Cuſco condita circa annum 1200. Reges dicebantur communi nomine Ingæ, qui latiſſimè per Americam Auſtralem Imperium propagarunt. Circa annum Chriſti 1500 Imperator Cuſconicus fuit Guainacapa, qui duos reliquit filios Guaſcalem & Attabalipum, qui inter ſe diſcordes viam aperuerunt Hiſpanis occupandi illius Imperii, quorum Dux fuit Franciſcus Picernus, qui anno 1533 Attabalipum prælio captum ſtrangulavit.

3. Reliqua per Americam nullo certo imperio continentur; niſi quod Chilen-

Chilenſes formam Reipublicæ Ariſtocraticam habent, inter quos præcipui ſunt Araugani, quorum bellum contra Hiſpanos elegantiſſime deſcripſit Alphonſus Ereilla Anno 1557, Chilenſes Franciſcum Baldivium profligarunt,& aurum liquefactum, ad exprobrandam Hiſpanis avaritiam rictui ejus infuderunt.

4. Oram Braſiliȩ circa annum 1500 ſuis coloniis occuparunt Luſitani,capite Imperii conſtituto in Urbe Sancti Salvatoris, quibus deinde Batavi magnam partem eripuerunt, & in Urbe Fernambuco ſedem ſuam collocarunt. Sed inde iterum perfidia Luſitanorum ejecti ſunt.

5. Reliqua Americæ occupantur variarum Gentium Coloniis; Præcipuè Batavorum, Anglorum, Gallorum & Suecorum. Præcipuam tamen potentiam poſt Hiſpanos in America obtinent Angli; qui ibidem novam Angliam ſuis Coloniis condiderunt, quemadmodum Batavi novum Belgium, cujus caput eſt novum Amſtelrodamum.

Hi-

Hiſtoria Rerumpublicarum.

1. Antiquiſſima inter Reſpublicas hodiernas eſt Veneta, quæ initium cæpit circa ea tempora, quo Athila Hunnorum Rex Italiam vaſtavit, cujus furorem fugientes, ſeſe in inſulas & æſtuaria maris Adriatici contulerunt, ibique ſtructis ædificiis paulatim in urbem & Rempublicam evaluerunt, ac creatis ſibi Ducibus & Magiſtratibus inviolatam libertatem per undecim ſecula ad noſtram memoriam continuarunt, variis quidem jactati caſibus, nunquam tamen expugnati, & ſub jugum miſſi. Potentia illorum crevit per mercaturam & longinquas navigationes. Quippe ſoli aromatica Indica, & quicquid pretioſi habet Oriens in Europam detulerunt, ſimulque Imperium ſuum per Italiam, Dalmatiam, Græciam & Inſulas maris Mediterranei longè latèque extenderunt, maxime poſtquam Latini expugnaſſent Conſtantinopolim, quod factum anno 1224. Ita Candia, Cyprus, & aliæ Inſulæ & urbes ad ipſos pervenerunt. Sed creſcenti huic potentiæ, imprimis acerrime ſe oppo-

ſuerunt

ſuerunt Genuenſes, unde atrox & diuturnum inter utramque Rempublicam bellum pro imperio maris geſtum, inter quas ſuperiores manſerunt Veneti. Succeſſerunt deinde contentiones cum Ducibus Mediolanenſibus, Florentinis & Regibus Neapolitanis. Sed omnia hæc minoris momenti fuerunt. Donec tandem ingens illud Cameracenſe fœdus, inter Maximilianum Imperatorem, & Ludovicum XII Regem Galliæ, & Julium II Papam in totalem ruinam hujus Reipublicæ ſtrueretur, & circa annum 1508 ſubitò erumperet. Ita Veneti non tam virtute ſuperati, quam multitudine oppreſſi ceſſerunt ad tempus Imperio continentis: mox autem incredibili conſtantiâ & ſagacitate fœdus illud diſſiparunt, ac amiſſa omnia recuperarunt. Poſt quæ tempora Turcicis potiſſimum & Auſtriacis bellis fuerunt exerciti. Et Turca quidem eripuit ipſis anno 1573 Inſulam Cyprum, & hodieque jam per 22 annos pro Candia contra ipſos bellum geſſit.

2. Reſpublica Genuenſis frequentibus jactata eſt tempeſtatibus, ac ſæpe præda exterorum facta, donec tandem An-

Andreas Aurea, eam Gallorum potentiâ ereptam libertati reſtitueret, à quo tempore ſoli lucro dedita, theſauros potius colligere, quam fines amplificare voluit, unde communes quaſi Trapezitæ maxime Hiſpanorum habentur. Audent tamen interdum Regi Galliæ, Hiſpaniæ, & Duci Sabaudiæ bello ſe opponere, ſed non alio fine, niſi ut ſe à vi & injuria defendant.

Quapropter hæc Reſpublica majoris momenti eſt apud mercatores, quam apud Politicos.

3. Reſpublica Helvetica primum emerſit circa annum 1308 & deinde per varia fœdera in tredecim Cantones, ſive Pagos excrevit. Acerrima ejus fuere bella contra Auſtriacos & Burgundos, ſed in omnibus victores, non ſua tantum domi defenderunt, ſed etiam bellum aliis extra ſuos fines intulerunt. Cæterum ab eo tempore, quo duabus Religionibus fuerunt ſciſſi, haud parum illorum Reſpublica fuit concuſſa, & hodieque haud leves controverſiæ inter ipſos vigent, quæ ſubinde in bellum erumpunt.

4. Omnibus his & potentior & florentior eſt Reſpublica Belgica, quæ ini-

initium ſumpſit anno 1581 & Unione Ultrajectina fuit ſtabilita. Cauſæ & viciſſitudines ex ſcriptoribus & recenti fama ſunt notiſſimæ. Ac quamvis initio negotium videbatur deſperatum propter nimiam Regis Hiſpaniæ potentiam nihilominus omnes illas difficultates auxilio divino, & ope ac favore vicinorum ſuperarunt. Ita quidem ut tandem non ſua tantum defendere ſed & hoſtilia invadere auſi ſunt. Maximam autem accretionem divitiarum & virium acceperunt per longinquas navigationes. Cum nulla gens numeroſioribus claſſibus omnia maria & terras ſcrutetur. Ita Hiſpani primo ad inducias duodecennales, quæ cæperunt anno 1609, fuerunt adacti. Quibus finitis, bellum majori ferocia præſumptum, ſed longe feliciori Ordinum fortunâ, qui ab eo tempore fortiſſimas Civitates Hiſpanis eripuerunt, ut tandem coacti fuerint pacem petere, ac Rempublicam hanc pro liberâ, & ſui juris agnoſcere. Ita bellum Hiſpanicum finitum fuit anno 1648. Ab eo tempore contra Anglos pro Imperio Maris certarunt. Et Suecorum arma per Daniam graſſantia, miſſis copiis auxi-

auxiliaribus depreſſa. Nunc fœdere cum vicinis Regibus ineundo occupata hæc Reſpublica, pacem ſibi impoſterum pollicetur.

5. De parvis illis Rebuſpublicis, Genuenſi, Lucenſi & Raguſina non opus eſt multa commemorare. Quandoquidem illorum potentia adeò exigua eſt, ut nullum magnum momentum partibus afferre queat.

Qui fama Margaritiferarum inſularum exciti totum littus ad Pariam uſque detexerunt.

1. A Palos de Moguer ad I. S. Jago.

2. Ad C. de S. Auguſtin & C. Conſolation.

3. Ad R. Mariatamba. 4. ad C. primeiro.

5. Ad B. de S. Lucar. 6. ad Humos. 7. ad R. de Marannon. 8. ad R. Dolce. 9. ad Pariam.

Roderigo de Baſtidas An. 1502. A C. de la Vela ad Darien cuncta detexit.

Joh. de la Coſa. A. 1504. detexit Carthagenam, I. Codego & Carthagenam cum Chriſtophoro & Ludovico Guerra expugnavit, Caribes cecidit & poſtea ſub Hojeda 1509. ab iis devoratus fuit.

Diego de Niqueſa A. 1508. ex P. de la Beata ad Carthagenam & P. de Miſas navigavit.

Joh. Diaz de Solis Lebrixenſis, ſecutus curſum Vinc. Joh. Pinzonii, gubernator R. Paranaguazu ſive de Solis creatus, ab Indis obrutus & devoratus fuit.

Navi-

Navigationes Friſlandicæ, ſive *Finno* Marchicæ *Islandicæ*, *Gronlandicæ*, *Scotlandicæ* & *Gotlandicæ* priſcis THULENSES. auſpiciis MARGARETÆ Semiramis Dan. Sued. Norw.

Nicolai & Antonii Zenorum An. 1390.

Nicolaus & *Antonius* Zeni, patritii Veneti, à *Zichmi* R. *Frinslandæ*, terras ad quas piſcatores quidam Friſlandici tempeſtate ejecti erant, detectum miſſi, *Eſtotilandia*, ſive *Scotlandia* vel *Scetlandia*, Oceano ſeptentrionali & inſulis interjacentibus perluſtratis, mira de Bibliothecis & potentia maritima illorum populorum retulerunt, quæ diu fabuloſis accenſita, hodie veriſſima deprehenduntur. Joh. Scolnus Polonus auſpiciis CRISTIANI. I. Regis Daniæ fretum *Anian* & Terram Laboratoris detexit A. 1476.

NA-

NAVIGATIONES ÆGYPTIORUM.

Pharaonis Neconis R. Ægypti.

Pharao Neco R. Ægypti Claſſe Africam circumnavigavit 1. Ex Mari Rubro. 2. Circum Africam. 3. in Oceanum Septentrional. 4. in Ægyptum. *Herodot.* 1.

CARTHAGINENSIUM.

Hannonis.

Hanno à Carthaginenſibus miſſus, Africam à Gadibus ad finem Arabię circumvectus, navigationem eam ſcripto prodidit. Plin. l. 2. c. 67.

Cœlius Antipater affirmavit vidiſſe ſe qui navigaſſet ex Hiſpania in Æthiopiam commercii gratia. Plin. l. 2. c. 67

Quidam ex India commerciorum gratia navigantes, tempeſtatibus in Germaniam abrepti, à Rege Suevorum Q. Metello Celeri Gallię Proconſuli donati ſunt. Corn. Nepos apud P. Melam lib. 3. c. 5. Plin. lib. 2. c. 67.

FINIS.

ULYSSIS PEREGRINANTIS

PARS TERTIA.

Complectens

ITINERARIA

BENJAMINIS

ET

JOSEPHI,

Et aliorum.

ITINERARIA BENJAMINIS.

INitio egreſſus Cæſar-Auguſtâ ſecundo Iberi flumine *Tortoſam* appuli: unde bidui itinere *Tarracona* petii, urbem antiquam, quæ remanſit ex antiquis Gigantum & Græcorum ædificiis; nec æqualis ſtructura in totis reperitur Hiſpaniis: marique adjacet. Hinc iterùm bidui itinere *Barcelonam* appuli: Oppidum eſt parvum, attamen elegans, & in maris littore ſitum. Quò negotiationis ergò mercatores ex omnibus locis confluunt: è Græcia, Piſis, Genua, Sicilia, Alexandria Ægypti, terra Iſraëlis confiniiſque ejus omnibus. Dehinc ſeſquidiei itinere Gerundam profectus fui: Poſtea trium dierum ſpatio *Narbonam*: Hinc ad oppidum *Batiras* ſunt paraſangæ quatuor. Iſtinc digreſſus biduo perveni ad *Montem Peſſulanum* qui vocatur *Montpeſlier*. Locus eſt negotiationi accommodus, duabuſque paraſangis abeſt à mari: quò ex omni loco ad mercaturam confluunt Chriſtianorum & Mu-

hammedanorum plurimi, è regionibus Algarbiæ, Lombardiæ, & regno magnæ illius Romæ, univerſo regno Ægyptio, terra Iſraëlitica, & Græcia, Gallia, Hiſpania, & Anglia: adeoque ex omnim linguarum populis ibidem reperiuntur una cum Genuenſibus & Piſanis. Diſtat hinc quatuor paraſangis Lunel: Inde duæ paraſangæ ad *Beaucaire* civitatem ampliſſimam: Hinc tribus paraſangis abeſt oppidum Nogres, quod dicitur Burgus Ægidii: Locus hic ab ultimis uſque terris frequentatur variis gentibus ac inſularibus, nec à mari ultra tria milliaria diſtat, in ipſa ripa magni fluminis Rodani, quod totam provinciam alluit.

Tandem tridui itinere Maſſiliam deveni. Hæc civitas maritima celeberrima eſt commerciis.

Hinc conſcenſa nave Genuam tendere conſuevere, urbem in littore ſitam, quò poſt quatriduum appellere queunt. Urbs muro cincta nulli regi paret; ſed ſenatoribus, quos ſibi cives arbitrio ſuo præficiunt. Singuli in ædibus ſuis turrim habent: unde exorto diſſidiò ſeſe invicem oppugnant in turrium faſtigio. Dominium maris obtinent:

obtinent: in quo confectis actuariis navibus, quas galeras dicunt, huc illuc excurrunt prædatum ac ſpoliatum prædas ac ſpolia, quæ Genuam devehunt. Bellum gerunt cum Piſanis, unde bidui itinere diſtant. Eſt autem hæc civitas maxima decies mille turribus inſtructa: quibus in ædibus exſtructis orto diſſidio ad mutua bella utuntur. Cives ſunt viri fortes: ideoque nec regi nec principi parent; ſed ſenatoribus quos ſibi præficiunt. Cæterum civitas nullo cincta muro à mari quatuor diſtat milliaribus: quo tamen ducunt ac reducunt naves fluvio quodam, qui ipſam civitatem influit. Succedit poſt quatuor paraſangas *Luca* Civitas magna. Hinc ſex dierum itinere abeſt urbs illa maxima *Roma*, caput regni Edomæorum. Hic ducenti ferme Judæi, viri honorati, nemini tributum pendentes: inter quos ſuos habet miniſtros Papa *Alexander*; qui maximus eſt princeps; totius Edomæorum religionis præfectus. Ibidem inveniuntur viri ſapientiſſimi: quorum primarius magnus R. Daniel, & *R. Jehiel* Papæ miniſter, *juvenis formoſus*, prudens ac ſapiens, qui in aula Papæ converſatur,

utpote aulæ omniumque ipſius facultatum adminiſtrator. Nepos eſt R. Nathanis qui librum Aruch compoſuit unà cum commentariis. Inter primarios etiam R. Joab f. magni R. Salomonis, R. Menahem ipſius Academiæ caput, R. Jehiel trans Tiberim habitans, & R. Binjamin f. R. Schabtæi l m. Cæterum Roma duabus conſtat partibus: quas ita Tiberis flumen interfluit, ut urbis pars una ab hoc, altera ab altero latere conſpiciatur. In priori parte eſt templum maximum quod S. Petri Romanum vocatur: ubi etiam palatium magni *Julii Cæſaris* cum multis ædificiis operibuſq; longe diverſis à cæteris omnibus quæ toto exſtant orbe. Atque hæc urbs quà habitata, quà devaſtata viginti quatuor patet milliaria: continens palatia 80 regum octoginta, qui ſui juris periti vocantur omnes Imperatores: inde à *Tarquinii* regno ad regnum uſque *Pipini* patris *Caroli*, qui omnium primus *Hiſpanias Iiſmaëlitis eripiens ſibi ſubjugavit.* Ibi extra Romam eſt palatium *Titi:* quem trecenti ſenatores ſuſcipere ideò detrectarunt, quod ipſorum mandato non paruiſſet; utpote qui elapſo demum

demum triennio Hieroſolyma cepiſſet, cum biennium præſcriptum fuiſſet. Præterea inſtar templi conſpicitur palatium Regis *Veſpaſiani*, ſtructura maxima ac firmiſſima. Adhęc palatium regis, regis inquam *Galbini*: in cujus palatio trecentæ & ſexaginta aulæ, quę dierum anni numerum æquant; ut earum ambitus ad tria milliaria extendatur. Quum autem inter ſe quondam bellum gererent, in iſto palatio ultra centum millia Edomæorum ceciderunt: quorum oſſa ibi ad hodiernum uſque diem ſuſpenſa. Rex etiam ſculptura totum bellum in omnibus lateribus expreſſit, acie aciei oppoſita, hominibuſque cum equis ſuis & armis marmori inſculptis: ut poſt longa ſecula prælium antiquum ob oculos poneret. Ibidem invenitur ſpelunca ſubterranea continens regem ac reginam conjugem thronis inſidentes & centum fere homines regni proceres, omnes opere pigmentario cælatos in hodiernum uſque diem. In baſilica S. Steph. apud ejus imaginem in ſacello duæ ſunt *columnæ æneæ*, opus regis Salomonis, qui in pace quieſcit: & cuique columnæ hęc inſculpta verba, *Salomon*

 f. Davidis.

f. Davidis. Narrarunt autem mihi Judæi ibi degentes, ſingulis annis nono die Julii ex illis ſudorem aquæ inſtar manare. Illic etiam ſpelunca ubi *Titus* filius Veſpaſiani vaſa ædis ſacræ repoſuit, quæ Hieroſolymis attulerat. Eſt & alia crypta in monte ad fluminis Tiberis ripam, ubi ſepulti decem juſti laudatæ memoriæ, qui ſub regno tyrannico occiſi fuere. Porrò ante templum imaginis Lateranenſis ſculptus eſt *Samſon* globum lapideum manu tenens: *Abſalon* filius Davidis, & Rex *Conſtantinus* qui Conſtantinam exſtruxit de nomine ipſius vocatam Conſtantinopolin. Sculptura ejus & equi ex ære, ſed obducta erat auro. Alia etiam ſunt Romæ ædificia ac opera, quæ nemo recenſere queat. Hinc ad *Capuam* eſt iter quatridui. civitas magna eſt, quam *Capys rex* quondam ſtruxiſſe fertur: elegantia etiam eximia; aquæ tamen inſalubres, ut regio quaſi abortum faciat. Ulterius profectus fui *Puteolos* quondam *Surentum* dictam, urbem magnam, quam olim condidit *Tſintſan Hadar-Ezer*, quum metu Davidis regis (in pace quieſcentis) aufugiſſet. Verumenimverò mare inun-

inundans cives utraque urbis parte obruit. Ac etiamnum fora & turres, quæ in media civitate fuerunt, à quovis conſpiciuntur. Ex ipſo loco medius ſcaturit fons : ubi olearia materia invenitur, (vulgò vitriolum) quam ex aquæ ſuperficie collectam ad medicamenta conficienda ſeponunt. Ibidem thermæ ſive balnea aquarum calidarum, quæ ex fundo ſcaturiunt in maris littore. Sunt autem duo balnea quæ ab omnibus morbo laborantibus frequentantur : quippe quæ ſalutifera doloremque lenientia deprehenduntur. Et ægroti omne genus è Lombardia eò æſtate confluunt. Hinc per milliaria quindecim ſub montibus iter conficitur. Operis author eſt *Romulus*, qui Romam condidit, atque hæc omnia fecit cum ſibi à Davide Iſraëlitarum rege & Joabo exercitus duce metueret. Alia etiam cum ſupra, tum infra montes urbis *Neapolis* exſtruxit : quæ civitas munitiſſima in littore maris ſita eſt, à Græcis olim condita. Hinc diei itinere Salernum venitur, ſcholam medicorum Edomæorum. Oppidum à continente muro cingitur; ab altera autem parte maris littori imminet:

turrimque habet in montis cacumine munitiſſimam. Inde dimidii diei itinere diſtat Malfi: Gentiles autem qui regionem incolunt mercatores ſunt, qui huc illuc mercaturam exercentes proficiſcuntur: agros non conſerunt, ſed quævis ſibi pecunia comparant; quippe qui in altis montibus & petrarum cacuminibus habitant. Abundant tamen terræ fructibus è vinetis, olivetis, hortis & pomariis. Nec quiſquam cum ipſis bello contendere poteſt. Hinc unius diei itinere *Beneventum* deveni urbem magnam in littore & monte quodam ſitam: Inde bidui itinere diſtat *Malchi in Apuliæ* regione, quæ fabis abundat. Ulterius ad *Æſculum* eſt iter unius diei: Hinc abeſt duabus ſtationibus *Trane* in littore ſita: quò conveniunt quicunque Hieroſolyma verſus transfretare cupiunt; quia hic eſt portus ſive λιμὴν commodiſſimus. Urbs ipſa elegans & ſpatioſa. Ab hac una ſtatione abeſt *Michael de Bar* civitas olim magna: quam vaſtavit Siciliæ rex Wilhelmus. Ulterius dimidiato die *Tarentum* veni, initium regni regionis *Calabriæ*: ubi incolæ Græci. Urbs magna eſt. Inde itinere bidui

abeſt

abeſt civitas *Otranto* in maris littore, ditio Græcorum: Hinc transfretantes bidui ſpatio *Corfu* pervenire poſſunt; atque hactenus Siciliæ regno accenſetur.

Hinc itinere bidui maritimo diſtat *Labta* (forte Larta) initium regni *Emanuelis* Græcorum regis: vicus eſt; hinc dimidii diei itinere diſtat *Natoliton* in brachio maris ſita. Unde mari ſtatione una *Patram* veni, Antipatri Græcorum regis urbem: qui unus fuit è quatuor illis regibus, poſt Alexandrum regem imperantibus. Hic magna & antiqua ſunt ædificia: ab hac urbe ad *Lepantum* dimidii diei maritimum iter eſt: Hinc ſeſquidiei iter ad *Criſſam*: ubi mons Parnaſſus. Inde tridui itinere diſtat urbs *Corinthus* metropolis: Unde tertio die *Thebas* deveni, urbem magnam. Iſtinc unius diei itinere profectus fui *Ægriphou* civitatem magnam ad mare ſitam: ad quam è quavis mundi plaga & angulo mercatores commeant. Hinc una ſtatione ad *Jabuſteriſam* urbem maritimam: Inde *Robinica* unius diei itinere diſtat: Unde iterum uno die diſtat Κινο-ποταμὸς: Hæc eſt *Valachiæ* initium;

cujus incolæ montes incolunt: gens ipſa *Valachorum* nomen gerit. celeritate cum capreolis conferendi, è montibus in Græcorum regionem deſcendunt, ut ſpolium & prædam auferant. Nemo illos bello laceſſere poteſt: neque rex ullus eos domare poteſt. Chriſtianorum inſtituta non obſervant: ſuiſque Judaïca nomina imponunt. unde nonnulli Judæos fuiſſe aſſerunt, Judæoſque appellare fratres ſuos; quumque hos offendunt, eos ſpoliare, ſed non occidere, quemadmodum occidunt Græcos: vivere denique exleges. Inde duabus ſtationibus deveni *Gardegin* urbem vaſtatam: quam pauci Græci ac Judæi incolunt. Ulterius bidui itinere *Armilonem* urbem magnam eamque maritimam, Venetis, Piſanis & Genuenſibus, omnibuſque mercatoribus eò venientibus emporium commodum. Regio eſt ſpatioſa. Hinc diei unius iter eſt *Biſſinam* petentibus: Inde mari itinere bidui *Seleuciam* appuli: quam *Seleucus* rex (unus ex illis quatuor Græciæ propaginibus, quæ poſt Alexandrum ſurrexerunt) ſtatuit. Urbs maxima eſt; Hinc duabus ſtationibus abeſt *Mitriſi*: Inde duobus diebus

bus Darmam veni: Poſtea unico itinere *Caniſtolin* profectus : hinc tridui ſpatio ad *Abidum* civitatem in littore ſitam conficitur iter: unde ulterius inter montes quinque dierum iter eſt magnam uſque *Conſtantinopolin*. Quæ regni caput eſt in univerſa ditione Græcorum quos Græcianos vocant: Regiaque eſt Imperatoris *Emanuelis*, cujus imperio parent reges duodecim; quibus ſingulis ſuum eſt Conſtantinopoli palatium. Turres habent & urbes, dominiumque in totam terram obtinent. quorum caput rex. Primo nomen Præpoſitus magnus; ſecundo Μέγας δομέστικος ſive domeſticus major; tertio Dominus; quarto Μέγας δοῦκας ſive magnus Dux; quinto Οἰκονόμος μέγας, id eſt, magnus œconomus: reliquaque illorum nomina hiſce ſunt ſimilia. Cæterum *Conſtantinopolis* in circuitu octodecim patet milliaria; idque ea ratione, ut medietas una mari alluatur; altera verò in continente hæreat: imminetque duobus maris brachiis, quorum unum è Ruſſiæ; alterum ex Hiſpaniarum mari oritur. huc etiam cujuſvis generis mercatores conveniunt è Babylonia, totaque Meſopotamia,

tamia, Media, Perſia, totoque Ægypti regno, Cananæa, regno Ruſſiæ, Hungaria, Peſiinki & Buria, Lombardia denique & Hiſpania. Hic ingens hominum ſtrepitus: quum eò negotiationis ergo ex omnibus regionibus conveniant, quà mari, quà terra: adeo ut huic urbi nulla, par uſpiam reperiatur. Hic etiam templum *Sophiæ* : & Græcorum *Papa*; quia religioni Papæ Romani non conſentiunt. Fana ibidem dies anni numero æquant. Et tam ingens eſt, ut ratio iniri nequeat, pecuniæ ſumma: quam eò quotannis ex utraque regione, arcibus, munitiſque locis illius ditionis conferunt, ut in nullis totius orbis templis tantæ divitiæ reperiantur. In medio templo conſpiciuntur aureæ & argenteæ columnæ, aureaque ac argentea candelabra plura quam quiſquam dinumerare poſſit. Eſt quoque locus in quo ſe oblectare rex ſolet, iſque aulæ muro proximus, dictus hippodromus: ubi rex quotannis die natalitio *Jeſu* Nazareni magnum edit ſpectaculum. Nam in iſto loco coram rege & regina omnia hominum totius mundi genera ſuis imaginibus exhibentur quolibet præſtigia-

ſtigiarum genere. Producere etiam ſolent leones, urſos, pardos atque onagros: quos emittunt ut inter ſe concertent; ut & aves. Nec ullibi par viſitur ſpectaculum. Ipſe autem rex *Emanuel* in regiam ſuam magnum in littore ædificavit palatium, præter illud à majoribus exſtructum: idque *Blachernas* vocavit: & columnas ac earum ornamenta auro & argento probato obduxit; iiſque cum bella ab antiquis antequam naſceretur geſta; tum quæ ipſe geſſerat inſculpſit. Ibidem ſolium ſuum ex auro & gemmis paravit: ſolioque aurea corona ex aurea catena impendet, æquali cum inferiori ſedili ambitu. In iſta margaritæ, quarum pretium nemo facile æſtimet: etenim noctu nullis ibi lucernis opus habent; ſiquidem omnes margaritarum luce fruantur, quæ ipſos admodum illuminant. Sunt & alia quæ nemo recenſere facile queat. Atque eò annuatim è tota *Græcia* omnia tributa inferunt, ut turres inde impleantur; cum veſtibus ſericis & purpureis, tum etiam auro. Nec ſtructura; nec divitiæ tantæ in ulla regione reperiuntur. Ipſius civitatis tributum ſingulis diebus viginti aureo-

rum

rum millia conficere ajunt, cum ex locatione tabernarum; tum ex foris venalitiis & mercatorum vectigalibus, qui mari ac terra eò confluunt. Porrò regionis incolæ *Græci* ſunt divites, cum auro, tum margaritis abundantes: ideoque veſtibus incedunt ſericis, quibus alias ocellatas auro intextas & acu pictas ſuperinduunt. Ita equis vecti regum filiis videntur perſimiles. Regia latiſſime patet, præſtantiſſimis omne genus fructibus dives; pane etiam, carne & vino pleniſſima: nec illorum divitiis pares eſt invenire in orbe univerſo. Sunt etiam in omnibus Græcorum libris verſatiſſimi, comedentes & bibentes quiſque ſub vite & ficu ſua. Atque ex omnibus gentium nationibus, quas *Barbaras* vocant, milites conducunt, qui cum Sultano rege *Togarmanorum*, quos *Turcas* dicunt, prælia ineant: quia nullo animi ardore ad præliandum imbuti, mulieribus habentur ſimiles, quum viribus ad retundendum hoſtem deſtituantur. In ipſa urbe nulli ſunt inter illos Judæi: quia trans aquarum ingentem alveum ablegati ſunt; & maris Sophiæ brachium ipſos cingit à parte altera, & nonniſi

via

via maris egredi permittuntur,ut mercaturam cum civitatis incolis exerceant. Illic ferme bis mille Judæi,iique magiſtrorum doctrinæ obſervatores; alii quoque diſcreti quingenti, iique *Karaïtæ*: inter quos & priores ſapientum diſcipulos eſt intergerinus paries. Sed ibi Judæo fas non eſt ut equo vehatur,excepto R. Salomone Ægyptio regis medico: cujus opera Judæi magnũ in ſuo exilio experiuntur levamẽ: gravi enim in exilio verſantur, magnumque ſuſtinent odium coriariorum, qui pelles præparant: adeoque conſpurcatam ſuam aquam in plateis ante illorum portas effundunt & Judæos inquinant. Similiter *Græcis omnes Judæi inviſi ſunt nullo bonorum & malorum diſcrimine*: ſiquidem contra Judæos mundum concitant, eos in plateis verberant & dura premunt ſervitute. At Judæi opibus abundantes viri boni ſunt benignitatis & præceptorum obſervantes, qui exilium æquo animo ferunt. Loco, ubi Judæi habitant, nomen *Pera*. Inde bidui itinere maritimo diſtat *Rodoſton*: Unde duabus ſtationibus *Gallipolin* veni: Hinc biduo *Mitylenen* devenitur unam ex maris inſulis: Unde ad *Chium*

eſt iter tridui: Eodem loco reperiuntur arbores, è quibus colligitur maſtyx. Hinc duabus ſtationibus *Samos*: deinde mari *Rhodum* tertio die appuli: Inde quatuor dierum itinere diſtat *Cyprus*: ubi Judæorum Rabbanæorum, ſive qui majorum inſtitutis vivunt, cœtus eſt; nec non Judęi alii, hæretici Cyprii, nempe Epicurei. Hos ubique excommunicant Iſraëlitæ: quandoquidem Sabbathi veſperam profanant, primamque veſperam obſervant. Poſtea duabus ſtationibus *Corucum* profectus ſum, illius Chriſtianorum ditionis initium quæ *Armenia* dicitur. Ibidem initium eſt regni *Turi* regis Armeniæ, qui montes ſibi ſubjectos habet, regnatque ad civitatem uſque *Dochiam* & Togarmanorum regionem, quos Turcas vocant. Inde duobus itineribus *Malmiſtras*, ſive *Tharſis* in littore ſita: quæ adhuc filiorum Javanis, quos Græcos dicunt, regno accenſetur. Hinc duobus itineribus *Antiochiam* magnam veni, quæ fluvii Phir ripæ imminet in valle torrentis *Jabok*, qui à monte Libano defluit è regione Hamathæ. Hæc eſt civitas illa magna quam rex *Antiochus* condidit: cui altiſ-
ſimus

ſimus mons imminet mœnibus contentus : in cujus vertice conſpicitur fons ; fontique aliquis præfectus eſt, qui aquam per canales ſubterraneos ad magnatum iſtic habitantium ædes tranſmittit. Altera ſui parte civitas fluvio alluitur : eſtque totius imperii, ferocium *Pitivini Papæ* fidem amplectentium, munitiſſima. Inde duobus diebus diſtat *Gebal*, ſive *Baalgad* ſub monte Libano : cui contermina eſt natio quam vocant *Elhaſchiſchorum*, qui Muhammedanorum religioni non aſſentiuntur ; ſed *Canbato* cuidam quem prophetæ loco habent. Huic enim in omnibus obediunt, ſive ad mortem, ſive ad vitam : eumque appellant Dominum *Elhaſchiſchorum*. Eſtque ipſorum ſenator, cujus arbitrio domi ac foris agunt omnia omnes montium incolæ : habitationis locus oppidum *Kormos*, quondam in regione Sihonis ſitum. Montani perpetuam inter ſe fidem ſervant ex præcepto ſenatoris ſui : omnibuſque paſſim ſunt terrori, quia reges ſerra diſſecant. Horum regio octo dierum itinere peragratur. Bella gerunt cum iſtis Edomæis ſive Chriſtianis, qui *Franci* appellantur

tur, & cum rege *Tripolis* quæ & *Trabelos* Syriæ dicitur. Illis diebus Tripolis terræmotu concuſſa fuit, & Gentilium ac Judæorum plurimi obruti fuere; ſiquidem ædes ac muri eos opprimebant: eodemque tempore tales ruinæ in tota Iſraelitarum regione fuere; adeo ut iſtis diebus viginti hominum millia & amplius perierint. Illinc diei unius itinere abeſt altera *Gebal*, terminus filiorum Ammon. Hic reperta veſtigia fani olim filiorum *Ammon* cum idolo filiorum Ammon: quod ſolio ſive throno inſidebat, lapideo quidem, ſed obducto auro: cui ad dextram & ſiniſtram duę adjungebantur mulieres, hinc una; inde altera. In ejus conſpectu altare, in quo coram ipſo cum ſacrificabant; tum ſuffitum faciebant, filiorum Ammon temporibus. Unde ad *Birot* (quæ eadem eſt cum Beeroth) iter eſt bidui: hinc unico itinere *Tſaidam*, id eſt, *Tſidonem* profectus urbem magnam, viginti fere Judæos inveni. Unde decem pene milliaribus natio quædam diſtat, quæ cum Tſidoniis bella gerit, & appellatur *Dògzijn*: ſunt iidem qui pagani & athei dicuntur. Hi nullius religionis in altis montibus & rupium

rupium antris habitant: quibus neque rex neque princeps ullus imperat; ſed ſuo arbitrio inter montes ac rupes vivunt, ad montem uſque *Hermon* tridui itinere pertingentes. In inceſtus effuſi, proprias filias ſibi jungunt; & certo quodam anni feſto, quo omnes viri fœminæque ad convivandum conveniunt, uxores ſinguli alii cum aliis permutant. Animam, quum ex alicujus probi corpore migrat, occupare tradunt corpus cujuſdam pueruli qui eo momento, quo anima è corpore ſuo migrat, naſcitur; ſin ex improbo diſcedat, occupare canis aut jumenti corpus. Hujuſmodi cum ſit via iſtorum; ſtoliditatem ſuam produnt. Nulli inter eos Judæi; niſi quod artifices & infectores ipſos adeant, & inter eos opificii ac mercaturæ ergo commorati domum redeant: Judæos autem diligunt. Cæterum in montibus & collibus percurrendis velocitate pollent: nec ulli eos bello laceſſere ſuſtinent. Deinde unico itinere veni *Tyrum* novam, urbem elegantiſſimam: quæ λιμένα ſive portum intra ſe habet; quò naves inter duas turres appelluntur. Noctu verò publicani catenam ferream inter eaſdem

montis radices multa viſuntur Iſraëlitarum ſepulchra : in monte verò *Eliæ* l. m. *ſpelunca;* ubi duo Chriſtiani fanum exſtruxerunt, quod ſancti Eliæ dictum fuit. In ejuſdem montis cacumine altaris diruti & ab Elia l. m. Achabi temporibus reparati veſtigia agnoſcuntur : cujus ſatium orbiculatum quatuor circiter patet cubita. Porrò ad imum montem in ejus latere defluit torrens *Kiſchon*. Hinc quatuor paraſangis diſtat *Capernahum*, ac ſi dicatur vicus conſolationis : & ipſum *Carmelum* primo aſpectu ſuperare videtur. Inde ſex paraſangis abeſt *Schizeria*, dicta quondam *Gad* Palęſtinorum : ubi decem pene Judæi & *Cuthæi* ducenti. Hi ſunt Judæi *Schomronitæ*, qui vulgò *Samaritani* audiunt. Urbs ipſa pulcherrima eſt ac elegantiſſima, ad mare ſita, ſtructura imperatoris ac regis Cæſaris : qui eam de ſuo nomine *Cæſaream* vocavit. Hinc dimidiato itinere *Kakum* veni, ſive *Kegilam*: nulliſque repertis Judæis altero dimidiato itinere profectus fui *Schargoreg*, quæ olim dicebatur *Luz*; & unicum reperi Judæum lanarum infectorem. Unde die uno *Sebaſten* me contuli, dictam ab

antiquis

antiquis *Samariam* : hodieque Achabi Iſraëlitarum regis aulæ dignoſcuntur ibi veſtigia. Urbs in monte quondam munitiſſima fontibus eſt irrigua; regioque aquarum rivis, hortis, pomariis, vinetis & olivetis dives eſt : à nullis tamen Judæis inhabitata. Hinc duabus paraſangis diſtat *Neapolis* , olim dicta *Sichem* , intra montes Ephraïm condita : nec ulli hic Judæi. In valle jacet inter montem *Gerizzim* & montem *Ebal* : ubi centum circiter *Cuthæi* legis tantum Moſaïcæ obſervatores; quos Samaritanos appellant. Hi ſacerdotes habent ex Aaronis ſacerdotis in pace quieſcentis proſapia, eoſque Aaronæos appellant: qui cum illis matrimonio non junguntur; ſed inter ſe qui ex ſacerdotali ſunt genere, ne cum illis confundantur. Sunt tamē legis illorum ſacerdotes, parantq; victimas ac offerunt holocauſta in illorum congregatione, idque in monte Gerizzim. Quemadmodum in lege ſcriptum eſt Deut. 11.29. *Edes benedictionem hanc in monte Gerizzimorum* : ideoque hanc eſſe domum ſanctuarii affirmant. Offerunt autem holocauſta cum Paſchate, tum aliis feſtis in altari, quod in monte

monte Gerizzim ex illis ſtructum fuit lapidibus, quos Iſraëlitæ Jardenem tranſgreſſi erexerant. Ex *Ephraimi* tribu ſe oriundos profitentur: & in diœceſi ſua habent ſepulchrum *Joſephi* juſti filii Jacobi patris noſtri qui in pace quieſcit; ſecundum illud Joſ. 24. 32. *Tum oſſa Joſephi, quæ deportaverant filii Iſraëlis ex Ægypto, ſepeliverunt Sichemi.* Tribus his carent literis ה, ח & ע: ה in nomine Abrahami patris noſtri, unde & deſideratur nomen הוד *gloria*; ח in nomine Iſaaci patris noſtri, unde etiam deſideratur חסד *benignitas*; ע in nomine Jacobi patris noſtri, unde nec vocem ענוה ſignif. *manſuetudinem*, adhibent: quocirca in his dictionibus utuntur litera א. Atque hoc indicio, ex Iſraëlis poſteris non eſſe, cognoſcuntur: quia Moſis legem abſque hiſce tribus literis agnoſcunt. Sollicite ſibi cavent à mortuorum, oſſium, occiſorum & ſepulchrorum contaminatione: veſteſque, quibus veſtiuntur quotidie, cum ad ſynagogam ſuam ſeſe conferunt, deponunt, & corporibus aqua ablutis, alias quotidiano ritu induunt. Cæterum in monte *Gerizzim* diverſi ſunt fontes ac pomaria: at

mons *Ebal* aridus eſt inſtar lapidum ac petrarum. Inter utrumque in valle Sichem deſpicitur. Inde quatuor paraſangis diſtat *Gilboa*, qui Chriſtianis dicitur *monto Gilboë*, ſitus in regione ariddiſſima. Hinc quinque paraſangarum iter eſt ad vallem *Ajalon*, quam Chriſtiani vocant *vael de Luna*. Unde unica paraſanga ad montem *Moriæ*, ad Garan Davidis, ſive magnam illam urbem *Gibeon*: ubi nulli ſunt Judæi. Ab hac diſtant *Hieroſolyma* tribus paraſangis: *oppidum exiguum* tribus munitum muris. Incolæ frequentes, Jacobitæ, Syri, Græci, Gregoriani, & Franci: ut verbo dicam, ex omnibus gentium nationibus. Hic etiam eſt locus inficiendis lanis accommodus: quem Judæi annuatim à rege ea conditione conducunt, *ne cuiquam præter Judæos iſtam artem Jeroſolymis exercere concedatur*. Sunt autem numero ducenti in oppidi angulo ſub turri Davidis habitantes: in cujus turris Davidis muris, antiqua fundamenti ſtructura ad decem cubita aſſurgit, ex majorum ædificio, quod ædificarunt patres noſtri, etiamnum remanens. Cum reliqua ſtructura ſit Iſmaëlitarum; nullum in

toto

toto oppido ædificium turri Davidis firmius invenitur. Ibidem etiam duo ſunt xenodochia: è quorum collegio uno in bellum prodeunt quadringenti equites. Iſtic ægroti omnes, quotquot eò deveniunt, decumbunt; quibus omnia neceſſaria cum in vita, tum in morte ſuppeditantur. In altera domo (quæ vocatur *Xenodochium* Salomonis, fuit enim palatium à Salomone exſtructum) in hoc inquam Xenodochii collegio commorantur, indeque ad prælium expediri queunt in ſingulos dies quadringenti equites: iſtis exceptis equitibus qui ex Gallicis & cæteris Chriſtianorum regionibus voto obſtricti eò conveniunt, ut ibi ſubſiſtentes anno vel biennio votum impleant. Hic præterea fanum illud magnum viſitur, quod dicitur ſepulchrum, nimirum illius viri ſepulchrum, quem omnes voto conſtricti adeunt. Hieroſolymorum portæ ſunt quatuor: una quam portam *Abrami* appellant; deinde porta *Davidis*; porta *Tſionis*; porta denique *Joſaphati* è regione Ædis illius ſanctæ quę fuit temporibus priſcis. Ubi eſt templum Domini; ſcilicet hoc loco Ædes ſancta

fuit quondam. In propinquo *Omar* filius Citabi magnum & pulcherrimum exſtruxit fornicem: quò Gentes nullam inferunt imaginem aut ſimilitudinem; ſed tantummodo ingrediuntur quò preces ſuas concipiant. Ex adversò viſitur murus occidentalis, illorum unus qui in Ædis loco ſanctiſſimo fuerunt olim; diciturque porta miſericordiæ: atque huc omnes Judæi ante murum iſtum in atrii locum precatum veniunt. Jeroſolymis in aula *Salomonis* equorum ſtabula ſuperſunt, quæ Salomon firmiſſima ſtructura, magnis lapidibus ædificaverat: nec ullibi locorum ſimile ædificium reperitur. Ibi etiamnum canalis conſpicitur, ubi veteres victimas ſuas mactabant: omneſque Judæi hic nomina ſua pariete inſcribunt. Prodeunti è porta Joſaphati objacet Populorum deſertum: in quo ſtatua illa dicta olim *locus Abſalonis*; ſepulchrum *Uſiæ* regis; magnus etiam fons aquarum *Schiloæ* ad torrentem *Kedronis*; & juxta fontem magnum ædificium, à majorum noſtrorum temporibus reliquum. Hic nonniſi parum aquæ invenitur: itaque pars maxima eorum qui Hieroſolymis degunt, aquam

aquam pluvialem bibunt;utpote qui in ædibus ſuis ciſternas habeant. Ulterius ex valle Joſaphati ad olivarum montem aſcenditur: quum Jeroſolyma & olivarum montem iſta tantummodo vallis interjaceat. Ex hoc monte deſpiciunt mare Sodomiticum: à quo mari ad ſalis ſtatuam, quæ Loti uxor fuerat, duæ ſunt paraſangæ. Statua quidem à gregibus lambendo diminuitur;ſed denuò excreſcit ad priſtinam quantitatem. Proſpicitur etiam ex eodem monte tota planities & torrens Schittim ad montem *Nebo*. Ante Jeroſolyma eſt mons *Tſion*: nec ulla in hoc monte ſtructura, ſi unum Chriſtianorum fanum exceperis. Præterea in conſpectu Jeroſolymorum tria veluti cœmeteria Iſraëlitarum: ubi diebus priſcis mortuos ſuos ſepeliebant. Inibi ſepulchrum, in quo æra inſcripta eſt. Verum Chriſtiani ſepulchra minuunt; ut qui ex eorum lapidibus domos ſuas exſtruant. Ambiunt vero Jeroſolyma montes magni:inTſionis autem monte *familiæ Davidicæ* extant ſepulchra, regumque qui poſt eum regnarunt;ſed locus ignotus eſt. Etenim quindecim jam ſunt anni, ex quo fani illius mon-

tis Tſionis murus aliquis corruit;ideoque Patriarcha ſacerdoti præcepit, ut fanum iſtud reſtauraret: hæc addens, *Deſume lapides ex antiquo Tſionis muro*, iis fanum inſtaura Itaque hic paruit & operarios pervulgata mercede viginti ferme conduxit, qui lapides è fundamento muri Tſionii eruerent. Inter hos fuerunt duo amici, fœderis tenaces: quorum cum unus die quodam alterum convivio excepiſſet, ſumptoque cibo ambo ad opus rediiſſent; dixit ipſis præfectus. *Quare diſtuliſtis adventum?* tum reſponderunt, quid *iſtuc ad ipſum attineret*: qua hora ſocii noſtri ibunt pranſum, nos opus noſtrum perficiemus. In educendis igitur lapidibus, erecto quodam ſaxo ſpeluncæ oſtium repererunt: unde eorum alter alterum alloquutus dixit, Ingreſſi num hic pecunia lateat videamus. Quocirca per ſpeluncæ introitum eouſque perrexerunt, donec ad magnum quoddam palatium pervenirent, columnis marmoreis inædificatum, argento auroque obductum: in cujus conſpectu menſa erat & ſceptrum aureum, unà cum aurea corona. quod fuit ſepulchrum *Davidis* regis Iſraëlis.

Ad ſiniſtram aliud *Salomonis*; ſimiliterque omnium regum ſepulchra qui iſtic è ſtirpe Judaica ſepulti fuerunt. Ibidem arcæ clauſæ, in quibus quid contineatur, nemo novit. Quum verò duo illi viri palatium ingredi vellent, ecce ex *antri oſtio ventus turbineus* ita eos proſtravit, ut in terram delapſi mortuorum inſtar ibi ad veſperam uſque jacerent: quum exortus alius ventus inſtar vocis humanæ clamaret, *Surgentes faceſſite hinc.* Quapropter egreſſi ac inde expulſi & attoniti, ad Patriarcham ſe receperunt: cui omnia enarrarunt. Unde Patriarcha Conſtantinopolin literas miſit, quibus D. Abrahamum pium Phariſæum (unum ex iis qui Hieroſolymorum ruinam lugerent) ad ſe evocaret. Iſti cum omnia ex ore duorum illorum expoſuiſſet, qui inde venerant; hoc tulit à D. Abrahamo reſponſum; illa eſſe familiæ Davidicæ ſepulchra, in uſum eorum regum qui ex Iuda genus ducerent. Poſtridie cum ad duos illos quidam miſſi fuiſſent, utrumque in lecto ſuo deprehenderunt decumbentem, ac cum pavore dicentem: Eò non revertemur, quia Deo non libet ulli homini iſtum

locum oſtendere. Præcepit ergo Patriarcha, ut locus iſte occluderetur, & ab hominibus ad hunc uſque diem occultaretur. Ipſe Abraham Pius omnia hæc mihi narravit. Inde duabus paraſangis *Bethlehemum* Iudę deveni, quod oppidum abſolutè *Bethlehem* dicitur: cui ad dimidium milliare vicinus eſt ſepulchri *Rachelis* cippus, in bivio è duodecim lapidibus pro numero filiorum Iacobi exſtructus, & teſtudine quadam, quæ columnis quatuor innititur, tectus. Hic omnes Iudæi quotquot prætereunt, nomina ſua in cippi lapidibus exarant. Bethlehemi duodecim *Judæi* ſunt, qui *tincturam* exercent: locus ipſe rivis, puteis & fontibus abundat. Hinc ad *Hebronem* ſunt paraſangæ ſex: ſed hæc civitas in monte olim ſita, jam devaſtata eſt. In agri valle quadam ſcil. in agro illo *Duplicationis* hodie oppidum eſt, & templum magnum, cui nomen, Sancti Abrahami: olim verò Iſmaëlitarum temporibus fuit ſynagoga Iudæorum. *Chriſtiani* hic ſex ſepulchra fecere, quibus ab Abrahamo, Sara, Iſaaco, Rebecca, Iacobo & Lea impoſuere nomina: & peregrinantibus hæc Patriarcharum

ſepulchra

ſepulchra eſſe dicunt, ideoque *pecunia* erogatur. Sed Judæo accidenti, qui mercedem ſpeluncæ janitori ſolvat, aperitur porta ferrea, quæ jam inde à beatorum Patriarcharum temporibus confecta fuit. Huc qui deſcendit facem ardentem manu tenens, nihil in prima ſpelunca deprehendit, nec in ſecunda; donec in tertiam deveniat: ubi ſex ſunt ſepulchra, *Abrahami*, *Iſaaci*, *Jacobi*, *Saræ*, *Rebeccæ*, & *Leæ*; quæ ſibi invicem oppoſita, ſingula literis inciſis obſignata ſunt, ut ſepulchro Abrahami hæc inciſa legantur. *Hoc eſt Abrahami beati patris noſtri ſepulchrum*, ſimiliter ſuper Iſaaci ſepulchro, imo ſingulis ſepulchris hujuſmodi inſcripta erant. In ſpelunca lampada accendunt, quæ die nocteque ad ſepulchra ardeat. Ibidem dolia viſuntur, plena Iſraëlitarum oſſibus: quia huc mortuos ſuos inferunt Iſraëlitæ, nempe ſinguli patrum ſuorum oſſa, quæ hic ad hodiernum uſque diem deponunt. In agri *Duplicationis* extremitate domus beati Abrahami patris noſtri, & ante domum fons: nec ut ibi domus alia extruatur permittitur, ob Abrahami reverentiam. Hinc ad *Beth Gebarin* quinque ſunt paraſan-

gæ, olim dicebatur *Mareſcka* : tres iſtic tantummodo Judæi habitant. Unde quinque paraſangis diſtat *Torondolos Gabralериſch*, dicta quondam *Schunem*: ubi trecenti ſunt Judæi. Inde trium paraſangarum itinere ad Sanctum Samuelem *Schiluntis* veni. Hæc eſt illa *Schilo*, quæ duabus tantum paraſangis Jeroſolymis diſtat. Quum autem Chriſtiani *Ramlam* (hæc eſt Rama) Muhammedanis eripuiſſent, & Samuelis Ramathenſis ſepulchrum apud Judæorum Synagogam reperiſſent; eum è ſepulchro ſuo deſumptum Schiluntem detulere: ubi magnum ſtruxere templum, quod hactenus vocant Sanctum Samuelem Schiluntinum. Hinc tribus emenſis à latere montis Moriæ paraſangis, *Peſupuam* deveni: quæ eſt *Gibea Saulis*, & eadem cum *Geba Binjaminis*: ubi nulli Judæi. Ulterius ad *Beth-nobi* tres paraſangæ, ipſa eſt *Nob* civitas ſacerdotalis. In media via duo ſaxa *Jonathanis*, quorum uni nomen erat *Botſets*, alteri *Sene*. In civitate duo ſunt Judæi, iique *tinctores*. Hinc tribus paraſangis *Ramas* (quæ eadem cum Harama) diſtat: ubi murorum inde à patrum noſtrorum

rum temporibus rudera; ſicuti è lapidum inſcriptionibus liquet. Atque hoc loco, civitate olim permagna, tres ſunt Judæi. Hic magnum quoddam Iſraëlitarum cœmeterium ad duo uſque milliaria extenditur. Inde quinque paraſangis *Gapham* devenitur, quæ & *Ioppe* dicta, inque littore ſita unum tantum habet Judæum, qui *tincturam* exercet. Hinc *Ebalin* uſque tres paraſangæ: olim dicebatur *Iafne*. Adhuc ſcholæ veſtigia remanent; ſed nullus eſt Judæus. Hucuſque *Epraimi* limites extenduntur. Ulterius duabus emenſis paraſangis. *Palmin* veni, quæ eſt ipſa *Aſchdod* Peliſthæorum jam vaſtata: unde nec ullus ibi Judæus. Duabus inde paraſangis *Aſchkalon* diſtat: quæ eſt Aſchkelon nova, quam ſacerdos Ezra p. m. ad mare condidit. quam initio *Beniberam* appellabant. Hæc ab *Aſchkalone* antiqua, quæ jam devaſtata eſt, quatuor paraſangis abeſt. *Nova* autem urbs permagna eſt & elegans: quò ad negotiationem undique confluunt, eo quod in confiniorum Ægypti extremitate ſita ſit. hic ducenti ferme Judæi Rabbanæi ſive traditionum obſervatores, quorum antiſtites D. Tſemah &

D. Aaron cum D. Salomone: ibidemque 40 Karaïtæ ſunt,qui Scripturæ ſoli adhærent: quinetiam Samaritani ferme trecenti. In media urbe puteus: quem vocant puteum perfecti Abrahami, quippe quem Peliſchthæorum temporibus foderat. Hinc *Seguras* profectus ſum, quæ olim *Lud* dicebatur: & poſtea ſeſquidie *Zarzin*, quæ olim *Iiſreël*; ubi magnus conſpicitur fons, & unus habitat Judæus qui *tincturam* exercet. Hinc tribus emenſis paraſangis *Sipuriam* veni, quæ Tſipori dicebatur olim: ubi eſt ſepulchrum I. Doctoris noſtri ſancti, & D. Hijæ qui è Babylonia venerat,nec non Prophetæ *Ionæ* f.Amittæi;qui omnes in monte ſepulti. Sunt & alia ibi ſepulchra plurima. Inde quinque confectis paraſangis *Tiberiadem* veni, Iardeni imminentem: ubi *Iarden* dicitur mare *Genezareth*, magnoque fluens impetu effundit mare ſalis in terram planitiei. Hic eſt locus qui aliàs dicitur decurſus collis: nam egreſſus *Iarden* irruit in mare *Sodomæ* ſive mare ſalis. Tiberiade quinquaginta circiter Judæi ſunt: quorum primates D.Abraham videns, D. Muchtar & D. Iſaac. Ibidem aquæ calidæ

calidæ ex abditis terræ locis ſcaturientes, quas thermas Tiberiadis vocant. In proximo etiam *Calebi* ſynagoga f. Jephunnæ. Ibidem ſepulchretum Iſraëlitarum cum ſepulchris Domini Ioannis filii Zachæi & Doctoris Ionathanis f. Levi. Omnia hæc in *Galilææ* inferiori. Inde duobus diebus *Timin* deveni, ſive *Timnatham*: ubi ſepulchrum viſitur Samuelis juſti, & multorum Iſraëlitarum. Hinc uno die profectus fui *Aſchath*, quæ olim *Gouſch Halebi*: ubi viginti ferme Iudæi. Inde ſex numerantur paraſangæ *Maranem* uſque, quæ olim *Maron*. Ubi in propinquo eſt quædam ſpelunca, cum ſepulchris *Hillelis* & *Schammæi*, ſepulchris etiam viginti diſcipulorum, ſepulchris denique D. Binjaminis filii Iephethi & D. Iudæ filii Bethiræ. Hinc iterum ſex paraſangæ Almam uſque à quinquaginta Iudæis inhabitatam: quæ ſepulchretum *Iſraëlitarum* magnum continet. Unde dimidiati diei itinere diſtat *Kadis*, quæ eſt Kadeſch Naptali in Iardenis ripa condita: Hinc uno die *Belinos* veni, cujus nomen fuit *Dan*: ubi antrum quoddam, unde *Iarden* profluens tertio milliari jungitur *Ar-*

nonis

nonis fluento, quod è Moabi limite deſcendit. Ante ipſum antrum dignoſci adhuc poteſt locus altaris idoli, quod *Micha*, quondam dicavit & Danitæ illis diebus coluerunt. veſtigia etiam ſunt illius altaris *Ieroboami* filii Nebati, in quo erat vitulus aureus. Hucuſque limites *Iſraëlitarum*, quoad mare ſuperius. Inde iter eſt bidui *Damaſcum* uſque, urbem magnam, initium regni *Nor-Aldini* regis Togarmanorum, qui *Turcæ* vocantur. Urbs permagna eſt ac pulcherrima, muro undique cincta: cujus regio hortis & pomariis inſtructiſſima eſt: patetque in ſingula latera milliaria quindecim. Nulla in toto orbe civitas cum hac, fructuum ubertate conferri poteſt: nam eò etiam ex *Hermone* monte defluunt *Amana* & *Parpar* (nam urbs ſub monte Hermone ſita eſt) adeo ut *Amana* in mediam urbem deſcendat, adeoque per ligneos aquæ ductus ad omnes magnatum ædes aquæ deriventur, nec non in plateas & fora. Urbs ipſa omnium regionum mercatoribus frequentata. Cæterum *Parpar* extra urbem hortos & pomaria interfluit, omneſquę horti & pomaria inde irrigantur. Ibi templum eſt

eſt Muhammedanorum,quod vocatur ſynagoga Damaſcena, cui par non eſt ædificium in orbe toto; & olin *Benhadadi* palatium fuiſſe dicitur. Hic magorum artificio vitreus murus conſtructus eſt, in quo foramina ſunt ſolaris anni diebus paria: per quorum ſingula ſol illapſus duodecim iſtis gradibus deſcendit, qui diei horis reſpondent: ideoque homines in iſto muro diei horas dignoſcunt. Intra palatium loca ex auro & argento exſtructa ſunt; quorum ſingula magnum labrum referunt; ut eò ad lavandum tres ſimul ingredi queant. In palatio medio gigantis alicujus coſta quædam dependet, quæ longitudine ſpithamas novem, latitudine duas æquat. Is fuit rex giganteus unus ex antiquiſſimis illis, cujus nomen *Abcamaz*: nam ita ſculptum erat in quodam ſepulchri lapide, ubi addebatur, per totum orbem regnaſſe. Hic tria ferme Iſraëlitarum millia, in quibus erant diverſi ſapientiæ ſtudioſi & divites: Karaïtæ, ſive qni ſoli Scripturæ ſacrę adhærent,iſtic ferme ducenti; *Samaritani* vero quadringenti: hi pacem quidem colunt; ſed inter ſe connubia non jungunt.

Iſtinc

Iſtinc unius diei itinere diſtat Galaad, quæ *Gilead* olim : ubi ſexaginta ferme Iſraëlitę(quorum primas Doctor Tſadoc.) loco vivunt amplo, qui aquarum rivis,hortis ac pomariis abundat.

Unde de dimidiato die Salcatham, ſive *Salecam* profectus ; poſtea eodem temporis ſpatio veni *Baal-becum* : quæ quondam Baalath dicebatur, à Salomone in Libani valle in filiæ Pharaonis gratiam condita,vel reſtaurata. Palatium maximis lapidibus, quorum longitudo viginti ſpithamas : latitudo duodecim æquat, conſtructum eſt : ita tamen ut lapides nulla re cohæreant; ideoque vulgò ferunt, ſolius Aſmodæi opera iſtud ædificium ſtructum fuiſſe. Ante civitatem fons magnus ſcaturiens, mediam perlabitur inſtar magni fluvii:cui in ipſa civitate molę,horti,& pomaria adjacent. *Tadmor* etiam in deſerto : quam urbem Salomon pariter magnis lapidibus condidit, quæque muro cingitur. In deſerto ſita, procul ab inhabitata regione abeſt, & à commemorata Baalath, quatuor dierum itinere. In ipſa urbe duo fere reperiuntur Iudæorum millia, fortes bello, qui cum Chriſtianis & Arabibus, qui im-

perio

perio Nor-Aldini parent, bellum gerunt; & vicinis ſuis ſc. Iſmaëlitis ſuppetias ferunt: habentque ſibi præfectos Doctorem Iſaacum Græcum, D. Nathanem & *D. Ouzielem* laudatæ memoriæ. Quum hinc dimidiato die Kirjathin ſive Kirjathajim profectus, nullum ibi Judæum, uno *tinctore* excepto, reperiſſem; unius diei itinere *Hamam* veni. Hæc *Hamath* olim dicta ripæ *Jaboki* imminet, ſub ipſo monte Libano. Tum temporis magno terræ motu in iſta civitate uno die periere quindecim hominum millia, uno inquam die: adeo ut ſeptuaginta tantum remanerent; quorum primarii D. Oula ſacerdos, ſenex Abou-Algaleb, & Muchtar. Hinc dimidiato die *Schibam*, olim Hatſor dictam; indeque tribus paraſangis *Lamdin* profectus fui; & poſtea bidui itinere *Habebum*, ſive Aram *Tſobæ*. Hæc eſt regia regis *Nor-Aldini*, in cujus medio palatium habet altiſſimo muro cinctum. Nullus in civitate fons aut fluvius; ſed imbres bibuntur, quos ſinguli in ædibus ſuis ciſterna Algub vocata excipiunt. Hinc ad *Balits* bidui iter eſt, quæ aliàs *Pethora* dicta fuit, in Euphratis ripa: ubi etiam

etiam hodie viſitur turris *Bileami* filii Beoris, (putreſcat impiorum nomen) quam ea ratione ædificavit, quæ diei horis reſpondeat. Hinc dimidiato die *Kala-Gaberum* ſive Sela-Midbaram profectus ſum: quam Arabes retinuerunt, quum Turcæ ipſorum regionem occuparent, eoſque in deſerta abigerent. Inde *Rakiam* uno die profectus fui, quæ olim *Calne* dicebatur ad Meſopotamiæ ingreſſum condita, Turcarum regnum à Meſopotamia diſtinguens. Hinc itinere bidui Hananem antiquam veni: ubi viginti ferme Judæi, & conſimiliter quædam Ezræ ſynagoga. Quo vero loco ædes Abrahami patris noſtri quondam fuere, nullum extat ædificium: eumque Muhammedani religioſè colentes, precandi cauſa frequentant. Duobus hinc itineribus erumpit flumen *Alcabor*, id eſt, Habor, inque Mediam tendens in montem *Gozen* incidit: Inde itinere bidui *Netſibin* veni, civitatem magnam fluviiſque abundantem: ulterius biduo profectus fui ad civitatem, cui nomen erat inſula filii *Omaris* in medio flumine Tigridis conditæ, ad radices montium *Ararat*. Quatuor milliaribus

liaribus ab eo loco diſtat, ubi *Noathi* arca quievit: ſed *Omar* Alcitabi filius arcam è cacumine duplicis montis deſumpſit, atque inde Muhammedanorum ſynagogam ſive templum ſtruxit. Non procul ab arca etiamnum exſtat Ezræ ſcribæ ſynagoga quædam: quò Judæi feſtis diebus è vicina civitate ad precandum conveniunt. Hinc biduo profectus ſum *Almczalem*, id eſt, Aſſchurem magnam: Iſta civitas, jam inde à diebus priſcis maxima, *Perſidis* initium eſt, ad Tigrin flumen ſita: inter quam & *Niniven* pons tantum intercedit. Hæc devaſtata eſt: attamen multos pagos & arces habet. A Ninive *Arbeelem* uſque una eſt paraſanga. Ninive autem Tigridis ripæ imminet. Hinc tridui itinere profectus ſum *Rahabam* antiquitus Rohoboth: quæ ad Euphratis ripam ſita. Urbs muro cincta, pulcherrima, magna & munita, circumcirca hortis & pomariis ornatur. Inde uno die *Karkeſiam* (quę olim Carcemis dicebatur) deveni. Euphratis ripæ imminet: Hinc duobus itineribus diſtat *Aljobar*, quæ eadem cum *Pombeditha* in *Nehardea*: ubi duo ferme Judæorum millia; in quibus ſunt ſapien-

ſapientiæ ſtudioſi, quorum anteſignani Magiſter Hen, Doctor Moſes & D. Eliakim. Hic ſepulchrum magiſtri Judæ & Doctoris Samuelis; atque ante unumquodq; propria ſynagoga, quam quiſque ante obitum ſtruxerat: præterea ſepulchrum D. Baſtenæi Principis qui fuit caput exulum, Doctoris Nathanis & D. Nahmanis filii Paphæ. Inde *Hardam* uſque quinque ſunt itinera: Hinc profectus, biduo poſt veni *Okberam*; quam civitatem *Jeconias* rex Judæorum condidit: Hinc eodem temporis ſpatio *Bagdadum* veni, civitatem maximam: quæ metropolis eſt imperii *Caliphæ* præfecti credentium *Abaſidæ*, qui ex ipſorum Prophetæ familia genus ducit. Hic *Muhammedanorum* religionis antiſtes eſt, ipſique omnes Muham. reges faſces ſubmittunt: iis enim eodem modo præeſt, quo *Papa* Chriſtianis. Bagdadi palatium habet, quod tria patet milliaria: in cujus medio ſylva magna eſt, omnibus arborum cum fructiferarum, tum ſterilium generibus quæ in orbe reperiuntur, inſtructa; quin etiam omnibus ferarum generibus. In media ſylva receptaculum eſt aquarum, quæ è Tigri

gri

gri flumine derivantur. Quum exſpatiari & ſe oblectare ac convivari inibi deſiderat, aucupio aves ipſi parantur, ſimiliter feræ & piſces venatione & piſcatione; ipſe deinde palatium ſuum ingreditur cum conſiliariis & principibus ſuis. Nomen magni iſtius regis eſt Abaſides *Ahmed.* impenſe amat Iſraëlitas, quorum plurimi ipſi miniſtrant: omnes callet linguas, legiſque Moſaicæ peritus eſt, ac ſanctum idioma non ſolum legit, ſed etiam ſcribendo exprimit. Nulla re quam manuum ſuarum labore parta frui cupit: ſtoreas enim conficit, quas ſigillo ſuo ſignatas per principes ſuos in foro divendit, eaſque viri ſummi emunt; atque ex hoc pretio edit ac bibit. Vir bonus eſt ac fidelis, & obvios quoſque ſalute impertit. Iſmaëlitis tamen eum videre non datur. Peregrini verò qui è longinquis regionibus *Meccam* in regionem *Elyman* tendunt, eum adire allaborant, & è palatio eum inclamant; *Domine noſter*, Iiſmaëlitarum lux & legis noſtræ lumen, *oſtende nobis vultus tui ſplendorem*: ſed ipſe eorum verba ſuſque deque habet. Deinde principes & ſervi qui ei miniſtrant acceden-

tes

tes inquiunt; *Domine noſter ſalute tua eos imperti, qui è remota regione accedentes, ad umbram decoris tui ſe recipere geſtiunt*. Tum is ſublatam veſtis ſuæ alam è feneſtra demittit, quam accedentes peregrini oſculantur. Deinde ad eos Principum nonnemo; *Abite cum ſalute*: jam enim vobis propitius ſalutem impertitus eſt dominus noſter lux Iiſmaëlitarum. Eumque Prophetæ ſuo parem cenſent; & domum redeunt læti, propter ſermonem quem habebat ille Princeps, dum ſalutem impertitam diceret. Omnes etiam fratres totaque familia veſtem ejus deoſculatur: habentque ſinguli ſua palatia in ipſius palatio; ſed catenis ferreis vincti in ſingulis ædibus cuſtodes habent, qui ne adverſus maximum regem inſurgant attendunt. Factum enim aliquando ut fratres adverſus eum rebellarent; & ex ſe quendam crearent regem: quapropter decretum de omnibus ejus conſanguineis factum fuit, ut catenis ferreis conſtringerentur, ne in maximum regem inſurgerent. Singuli tamen in ſuis palatiis admodum ſplendidè vivunt, & pagos ac civitates imperio ſuo ſubjectas habent, quarum præfecti

præfecti ipſis tributa ſolvunt : itaque edunt, bibunt, ac lætantur omnibus vitæ ſuæ diebus. Cæterum in illo maximi regis palatio magna ſunt ædificia cum argenteis ac aureis columnis, conclavibus atque omnibus gemmarum generibus: unde nonniſi ſemel quotannis prodire ſolet, idque feſto *Ramadan*, ut ipſi vocant. Hoc die è remotis locis ejus videndi cauſa confluunt: quum ipſe in mula equitat veſtibus regiis ex auro argentoque confectis indutus, cidarim in capite geſtans gemmis inæſtimabilis pretii ornatam; cui nigrum ſudarium incumbit ad teſtandam convenientem huic mundo modeſtiam : ac ſi diceretur, videtis totam hanc gloriam; ſed mortis tempore eam occupabunt tenebræ. Et eum comitantur omnes Muhammedanorum duces elegantibus veſtibus induti, equiſque inſidentes, Principes *Arabiæ*, *Mediæ*, *Perſidis* & regionis *Touboth* trimeſtri itinere ab Arabia remotæ. Ita à palatio ſuo incedit uſque ad oratorium, quod proximùm *Botſræ* portam maximum eſt. Quicunq; cum ipſo incedunt viri ac mulieres, veſtitu ſericeo ac purpureo induuntur. Inve-
nias

nias per omnes plateas ac fora, quovis muſicæ genere cantantes & ſaltantes coram rege maximo, quem Calipham vocant. Eumque alta voce ſalutantes, acclamant, *Bene ſit tibi*, domine noſter Rex; ipſe verò veſtem ſuam oſculatur, quam manu prehendens ſalutem viciſſim denotat: & hoc modo ad precum atrium pergit. Ubi conſcenſo ſuggeſtu ligneo illis legem ſuam enarrat: aſſurgentes autem Iiſmaëlitarum ſapientes pro eo precantur, ſummaque ejus majeſtate & pietate commemorata eum dimittunt, reliquique omnes *Amen* accinunt. Poſtea ipſis benedicit, & adductum ſibi camelum mactat: atque hoc eorum paſcha eſt. Portiones principibus diſtribuit; qui avidè ab ipſo arripiunt, ut victimæ manu ſancti ſui regis mactatę aliquid deguſtent: quo lætantur. Deinde ex oratorio diſcedit: & in Tigris fluminis ripa ad palatium ſuum uſque ſolus ambulat; dum Mahumm. magnates in ipſo flumine navibus in ejus conſpectu vehuntur, donec is ſuum palatium ingrediatur. Eadem autem qua venit via, non redit: & viam ſecundum fluminis ripam toto anno cuſtodiunt, ne quis illac hominum

num tranſeat, ſcil. per veſtigia plantæ pedum illius. Deinde toto anno, è palatio ſuo non egreditur unquam: vir ſanctus & pius. Ultra flumen etiam palatium ſtruxit in ripa cujusdam brachii Euphratis, fluentis ab altera civitatis parte: ubi magnas domos ædificavit, porticus & hoſpitia in uſum pauperum ægrotantium, qui eò ut curentur ſe conferre ſolent. Hic ſexaginta fere ſunt tabernæ medicinales, quibus ex aula regia de aromatibus aliiſque neceſſariis proſpicitur. Quicunque illuc ægroti veniunt, ſumptibus regiis donec convaleſcant aluntur. Ibidem magnum eſt ædificium, cui nomen *Dar Almeraphtan*, id eſt, habitaculum clementiæ: quo omnes furioſos æſtate inventos concludunt, ſingulos compedibus ferreis vinctos donec ad mentem redeant, ibi eos relinquunt; tum ſinguli domum ſuam redeunt. Singulis enim menſibus regii præfecti in eos inquirunt, & ſi mens reſtituta ſit dimittuntur, ut ad ſuos redeant. Hæc omnia facit, ut miſericordiam exerceat in omnes, qui Bagdadum ingreſſi vel ægroti vel furioſi deprehenduntur: rex enim pius eſt, atque bona intentione

id facit. In provincia Bagdadi civitas eſt tria patens milliaria in circuitu. Regio palmetis, hortis & pomariis dives, adeo ut in tota Babylonia ei nulla par ſit. Eò ad negotiationem ex omnibus regionibus confluunt: habetque viros ſapientes & philoſophos omnium ſcientiarum gnaros, magos & cujusvis veneficii peritos. Hinc *Gekiagan* bidui itinere diſtat, quæ eſt Reſen magna illa civitas. Inde *Babel* unico itinere diſtat: hæc eſt antiqua illa *Babel* jam devaſtata; quæ plateis ſuis ad triginta milliaria extendebatur. Ubi etiamnum vaſtatum *Nebucadneſaris* palatium viſitur. eóque homines ingredi verentur, propter ſerpentes & ſcorpiones locum occupantes. Inde *Hila* quinque milliaribus abeſt: Hinc ad turrim, quam illud ædificavit ſeculum quo linguæ diviſæ ſunt, quatuor ſunt milliaria: lateribus quos *Lagour* vocant conſtructa eſt, & fundamenti longitudo ad duo circiter milliaria extenditur; latitudo turris ducentis quadraginta cubitis finitur, & longitudo centum cannis. Inter dena cubita viæ erant, quibus in gyrum aſcendebant, & ad ſuprema uſque orbiculariter tendebant:

bant: unde proſpectus ad viginti pertingebat milliaria, quia regio latiſſima eſt ac plana. Sed hoc ædificium cœlitus igni tactum fuit, qui ad ima uſque omnia diffregit. Inde dimidiato itinere *Naphham* devenitur. Hinc tres paraſangæ numerantur ad beati *Ezechielis* Prophetæ ſynagogam in ripa Euphratis: ubi è regione ſynagogæ ſexaginta turres ſunt, & inter ſingulas eſt ſynagoga. In illius atrio librorum ſacrorum theca eſt; & poſt ſynagogam Ezechielis filii Buzi ſacerdotis ſepulchrum: cui magna pulcherrimique operis teſtudo impendet, quam conſtruxit Jechonias Judæorum rex cum triginta quinque Judæorum millibus qui eum ſequebantur, cum ab *Evil-Merodacho* e carcere dimiſſus eſſet. Hic locus una ſui parte flumen *Chobar* reſpicit; altera verò Euphratem. Cæterum *Jechonias* omneſque qui eum comitati ſunt in pariete ſculpti viſuntur: *Jechonias* primo loco; *Ezechiel*, ultimo. Is locus ad hunc uſque diem quadamtenus ſanctuarium eſt: huc enim è locis remotiſſimis precandi cauſa confluunt, inde ab anni initio ad feſtum expiationis uſque; magnaque gaudia

agitant. Ibi productum magnum librum, quem Ezechiel Propheta ſua ſcripſit manu, legunt expiationis die. Super Ezechielis ſepulchro die nocteque ardet lampas, inde ab eo tempore quo eam ipſe accendit: & hactenus ellychnia identidem mutant, oleumque addunt, qui eum ſequuti ſunt. Ibidem ſancta quædam magnaque domus libris plena, ubi etiam cum è prima, tum è ſecunda æde libri ſervantur: & quicunque liberis carent, illic libros ſuos conſecrant. Judæi etiam, qui eò ad preces è Perſia & Media conveniunt, pro ſe regionum iſtarum incolis, vota ad Ezechielis Prophetæ ſynagogam deferunt. Quinetiam magnatum inter Muhammedanos filii eò ad precandum veniunt, ob ardentem beati Ezechielis Prophetæ amorem: locumque vocant habitaculum elegantiæ vel pulchrum. Eo omnes Arabes ad preces congregantur. Inde non amplius dimidiato milliari diſtant *Ananiæ*, *Miſchaëlis* & *Azariæ* ſepulchra cum ſuo unumquodque magno fornice. Belli autem tempore nemo in toto orbe, præ reverentia beati *Ezechielis*, loca iſta ad lædendum tangere audet; tam inter

inter Muhammedanos, quam inter Judæos. Inde tribus milliaribus diſtat civitas *Alkotſonath*. Hinc *Ein-Siphta* tribus paraſangis diſſita eſt: & hic beati Propheri *Nakumi* Alkoſchæi ſepulchrum viſitur. Inde ad pagum *Lephras* diei iter eſt. Unde dimidiato itinere ad Pagum-deſerti profectus. Inde uno die ad *Ligam* fluvium; ubi erat ſepulchrum beati regis *Tſedekiæ*, quod magno fornice tegebatur: & eodem ſpatio *Kupham* veni: in qua civitate magnificè ſtructum eſt *Jechoniæ* regis ſepulchrum. Hinc ſeſquidiei itinere diſtat *Suria*: hæc eſt illa civitas *Mahaſia*. Inde *Schephithib* uſque bidui iter eſt: ibi exſtat ſynagoga, quam Iſraëlitæ ex Hieroſolymitana terra & lapidibus conſtructam vocarunt *Schephithib* in *Nehardea*. Hinc ſequidie *Elnebarum* veni: quæ etiam *Poum-beditha* dicitur, ſita in Euphratis ripa; in qua tria ferme Iſraëlitarum millia, cum ſynagoga Rabi & Samuelis, eorumque ſcholis, quibus è regione ipſorum ſepulchra objacent. Inde itinere facto per deſertum regionis *Schebæ*, quæ vocatur regio *Eliman*, emenſâ ad ſeptentrionale Babyloniæ latus via unius &

viginti dierum per deſerta, eò veni ubi Judæi habitant, qui *Rechabitæ* dicuntur, aliàs homines *Themæ*. Thema autem eſt initium regni ipſorum, in qua magna civitate D. Annas Princeps in reliquos dominatur. Diſtrictus verò ditionis illorum inter montes ſeptentrionales ſedecim dierum itinere terminatur, & magnas munitasque habet civitates: nulliusque gentis imperio premuntur incolæ; ſed inſuper ut ſpolia & prædam auferant, remotas regiones adoriuntur, ipſos etiam vicinos Arabes, eosque confederatos. Hi ſunt *Arabes Scenitæ* per regionis ſuæ deſerta habitantes: ædes enim non habent; ſed ad ſpoliandum & prædandum ad regionem etiam Eliman diſcurrunt. A *Tilimaſe* tribus diebus *Cebarem* devenitur. Vulgò hic eſſe tribum *Rubenis, Gadis*, & dimidiã Manaſſis tribum ferunt: quas Schalmaneſer Aſſyriæ rex captivas duxerit. Hos Iſraëlitas huc profectos magnas iſtas munitasque civitates condidiſſe ajunt, & cum omnibus regnis bella gerere: nec ad eos accedere poſſe quenquam: nimirum quum per deſerta & ſolitudines octodecim dierũ iter ſuperandum ſit, neminem eo penetrare

netrare poſſe. Cæterum *Cebar* maxima civitas quinquaginta ferme Iiſraëlitarũ millia habet: & in his cum ſapientiæ ſtudioſos, tum viros fortes qui acie decertant cum Babyloniæ tincolis, & regione ſeptentrionali, nec non vicinis Elymanitis. Hîc Indiarum eſt initium. Ab Iſraëlitarum autem regione ad Viram flumen, quod regionem Elymanis interfluit, viginti quinque dierum iter eſt: atque hic tria fere Iſraëlitarum millia. Iſtinc ſeptem diebus *Naſetum* ven, & viginti circiter Iſraëlitarum millia reperi, inter quos erat Magiſter Nedajan. Hinc iterum diebus quinque *Botſram*, in qua ad Tigris ripam ſita duo ferme Iſraëlitarum millia: quorum plurimi ſapientiæ ſtudioſi ac divites. Unde bidui iter eſt ad Samurã flumen, regni Perſiæ initium, & ſepulchrũ Ezræ ſcribæ ac ſacerdotis, qui Hieroſolymis ad Artaxerxem regem profectus, ibi diem obiit. Hinc ad Cuzeſtaan quatuor ſunt milliaria: hæc eſt *Elam* magna illa provincia, quæ jam omnibus partibus non habitatur; ſed ex parte vaſtata eſt. In cujus ruinis eſt *Schuſan* metropolis, regis Aſſueri quondam regia: ubi magnum & elegans ædificium inde à pri-

ſcis diebus remanet. Tigridis flumen civitatem ſecat in partes duas, quas pons interjacet. ab hac parte, ubi Judæi habitant, fora ſunt & commercia omnia, adeoque omnes divi:es commorantur; ab altera verò parte pauperes, quia nulla fora aut commercia habent, nec hortis aut pomariis inſtructi ſunt. Atque hinc tandem concepta invidia ita ſecum ſtatuebant, omnes has divitias totumque ſplendorem illis nonniſi ex eo provenire, quod beatum *Danielem* Prophetam penes ſe haberent ſepultum: quapropter ut in medio ſui Danielem ſepelire liceret, petierunt. Sed alteri id ipſis non permiſere, nec permittere voluere; ſed diu inter ſe geſſere bella: donec tandem inter defeſſos hac conditione transactum fuit, ut Danielis loculus alternatim locum mutaret, & hoc anno ab hac fluminis parte, altero ab altera eſſet. Promiſſa ergo fecerunt, & utrique ab utraque parte conventis ſteterunt: donec eò tempore quodam accederet *Senigar Saas* filius Saæ, qui in omnes Perſidis reges, nempe quadraginta quinque qui ejus imperio parent (Arabicè vocatur, magnus Perſidis Imperator)

tor) imperium habet. Is eſt cujus dominium ab oſtio fluvii *Somræ* extenditur aduſque civitatem *Semarchotl*, flumen Gozan, provinciam *Giſbor*, totam ripam Gozanis, urbes Mediæ, monteſque Haphton, ut & alias inſignes regiones, in quarum ſylvis feræ reperiuntur, unde moſchus colligitur. In ſumma, regnum ipſius ad quatuor menſium quatuorque dierum iter extenditur. Quum igitur Imperator iſte magnus *Senigar*, rex Perſidis huc veniſſet, atque Danielis loculum de loco in locum volutari obſervaret, & Judæos ac Iſmaëlitas confertumque populum per pontem unà incedere, quid rei eſſet, rogavit: & poſtquam ipſi omnia iſta enarraſſent, indecens eſſe pronunciavit, ut Daniel ita contemtui haberetur; ſed dimetiemini, inquit, ſpatium utrimque æquale, & Danielis loculum vitreo conditorio imponetis, quod de ponte ferreis catenis ſuſpendetis in medio. Præcepit etiam ut eodem loco magnam quandam ſynagogæ ſtructuram ædificarent, quibusvis è toto orbe accedentibus: ut cuicunque collibitum eſſet, eam ingreſſus preces funderet, ſive Judæus ſive peregrinus.

grinus. Ad hunc uſque diem Danielis loculus è ponte dependet. Interdixit etiam rex ne quis ullibi in flumine piſcationem intra milliare ſive ſuperiori ſive inferiori ſpatio exerceret, idque in Danielis honorem. Inde tribus diebus devenitur *Robab-bar*. Hinc bidui iter eſt ad fluvium Vanath. Inde quatridui iter eſt in regionem *Molhath*: ubi populi degunt, qui Muhammedanorum doctrinæ fidem non habent, & in magnis montibus habitant; ſeniorem ſuæ regionis *Alcaſchiſchin*, quaſi ſenes dicas, appellantes. Inter ipſos quatuor Iſraëlitarum cœtus degunt: qui cum iis non ſolum habitant; ſed etiam in prœlium proficiſcuntur. Perſarum regis jugo non ſubſunt: nam in altis montibus domicilia habent, & cum ad ſpoliandum & prædandum deſcenderunt, in montes denuò aſcendunt; nec quiſquam cum ipſis bellum gerere poteſt. Qui inter hos ex Judæis habitant, ſunt ſapientiæ ſtudioſi, & imperio parent capitis exulum qui Babylone degit. Hinc quinque dierum itinere *Ariam* devenitur, quæ viginti quinque fermè Iſraëlitarum millia habet: eſtque ieitium iſtorum cœtuum, qui in montibus

tibus *Haphton* habitant;hic enim plusquam centum Iſraelitarum cœtus commorantur (eſt Mediæ initium.) Iſti prima captivitate à rege *Schalmaneſere* abducti fuere, & Chaldaïce loquuntur : inter quos etiam ſapientiæ ſtudioſi. Ab *Amaria* diei unius itinere diſſiti,habitacula ad Perſidis regnum extendunt : & huic regi parent, qui ab iis per ſuum præfectum tributum etiam exigit. Tributum, quod in toto Muhammedanorum regno pro ſingulis maribus decimo quinto anno majoribus pendunt, hoc inquam tributum eſt annuus aureus imperatorius, qui aureo ſeſquitertio *Moravetino* æſtimatur. Jam decimus agitur annus, ex quo illic fuit vir quidam, cui nomen *David Alroï*, Amarienſis: qui diſcipulus fuerat principis exulum Haſdai, & principis ſynedrii Eli qui Jacobi erat decus in civitate Bagdad; legis Moſaicæ, conſtitutionum & Talmudis peritiſſimus; imo omnium exoticarum ſcientiarum & linguę Arabum eorumque ſcripturæ; minime etiam librorum magicorum & veneficorum ignarus. Huic in mentem venit,ut in *Perſarum* regem rebellaret, Judæoſque in

montibus Haphton habitantes colligeret, & quasvis gentes oppugnans expugnatum iret Hieroſolyma. Judæis ergo ſigna dabat in miraculis falſis:quibus ſe à Deo ad occupandum Hieroſolyma miſſum aſſerebat;atque ut vos, inquiebat, à gentium jugo ſubducam. Adeoque Judæorum pars ipſi fidem habuit: hoc etiam impoſito nomine, *Meſſias noſter.* Id quum Perſarum rex intellexiſſet, eum ad colloquium acceſivit:& intrepide accedenti & congredienti quæſtionem propoſuit, An tu es Judæorum rex. Quod cum reſpondens affirmaſſet, eum rex propius accedens extemplò comprehendi & in carcerem abduci juſſit, nempe locum ubi regis captivi ad mortem uſque vincti detinentur in urbe *Dabaſtan,* in ripa maximi fluminis Gozan. Elapſo triduo, quum rex conſediſſet ut una cum principibus & miniſtris ſuis de facto Judæorum deliberaret, qui adverſus regem rebellaverant, ecce David ille per ſe è carcere ſolutus,à nemine accepta venia accedit: atque regi ipſum intuenti & percunctanti,*quis te huc* adduxit, aut *quis vincula tua ſolvit;* reſpondet, *ſapientia mea & ſolertia mea,*

mea, quia nec te, nec ullos ſervos tuos metuo. Eveſtigò inclamans rex eum capi juſſit: verum reſpondentes ſervi ſe eum non videre dixerunt; ſed eundem vocis tantum auditu percipere. Quum confeſtim rex ſapientiæ ipſius admiratione obſtupeſceret, ita regem affatus eſt, Ecce ego viam meam inſiſto. Ita abeuntem rex ſequutus eſt, regemque ſuum omnes principes & miniſtri pariter ſequuti: donec ipſis ad fluminis ripam accedentibus, *David* ille accepto ſudario & ſuper aquas extenſo tranſiret. Tum omnes regis miniſtri eum ſuper ſudario ſuo per aquas tranſeuntem ſpectarunt: & lintribus inſequentes eum aſſequuti non ſunt, faſſi in toto orbe incantatorem non eſſe parem. Eodem die decem dierum emenſo itinere *Amariam* venit, idque virtute nominis expoſiti, id eſt, Jehohæ: ibique eum quæcunque ſibi accidiſſent narrantem Judæi omnes propter ſapientiam demirati ſunt. Poſtea hic Perſarum rex principem credentium, Calipham Bagdadi reſidentem, Muhammedanorũ Imperatorem per literas compellat, ut cum capite exulum ſive captivitatis principe & ſynedriorum

driorum capitibus agat, quò *David Al-roi* ab hujusmodi factis prohibeatur; ſin minus, inquit, omnes Judæos in toto regno meo repertos interficiam. Itaque quum omnes cœtus Perſidis in magna anguſtia verſarentur, ad exulum principem & ſynedriorem capita qui, Bagdadi habitabant, hujusmodi literas dedere, Quare in conſpectu veſtro moriemur, cum nos, tum omnes hujus regni cœtus? prohibete virum iſtum, ne ſanguinem innoxium fundat. Quocirca in hanc ſententiam ſcripſit ipſi Æchmalotarcha & ſynedriorum præſides, *Scito, redemptionis tempus nondùm adveniſſe*, necdum ſigna noſtra à nobis conſpecta: nam inflato ſuo animo nemo prævalebit. Itaque jubemus, ut te cohibeas, quominus talia inpoſterum moliaris; quod ſi non pareas, eſto excommunicatus à toto Iſraële. Has literas eveſtigio tranſmiſere: & ſimiliter dedere literas ad Zachæum principem, cujus in Aſſyria ſedes, & D. Joſephum Videntem (cognomine Burhan Al-Phelec, id eſt, examen aſtrologiæ) ibidem commorantem, ut Davidi Al-roi literas mitterent. Quapropter addiderunt & ipſi litte-

litteras, ſcilicet commemorati iſti, Princeps & Videns, ut exhortarentur, & illum juſti ac æqui commonefacerent: ſed iſta omnia non admiſit. Nec à via peſſima deſtitit, donec exoreretur rex quidam, cui nomen *Zin Al-din*, Turcarum rex & Perſarum regis vaſallus: qui legatos miſit, ſoceri Davidis Al-roi cauſa, cui ſic manus decies mille aureorum tradidit, quò clanculum Davidem Al-roi òccideret. Quod ille præſtitit, quum domum illius ingreſſus, dorimentem in lecto interficèret: ut hac ratione illius conſilium & ſolertiam irritam reddiderit. Attamen ira Perſarum regis in Judæos cum montanos iſtos, tum in ſua ditione habitantes concepta nondum deferbuerat. quod cum ipſi animadverterent, Æchmalotarcham accerſiverunt, quò ſibi ad Perſidis regem auxilio veniret. Quocirca is ipſum benigna oratione & placidis verbis aggreſſus, placare ſtuduit: unde & placatus fuit, centum circiter aureis talentis prius numeratis. Poſtea tranquilla fuit regio, ſedata jam Regis ira. A dicto monte decem dierum itinere *Hemdanem* venitur; quæ eſt magna illa civitas Mediæ, toto provinciæ

vinciæ cognominis : quam Iſraëlitarum quinquaginta fere millia inhabitant. Hic ante ſynagogam quandam humati *Mardochæus* & *Eſter*. Inde quatuor dierum itinere diſtat *Tabreztaan*; ubi quatuor pene Judæorum millia ad Gozan fluvium. Hinc ſeptem diebus pervenitur ad civitatem Iſpahaan urbem illam magnam, regnique metropolin, quæ duodecim milliaria patet: ubi quindecim ferme Iſraëlitarum millia, & magiſter Sar-Schalom, cùm iſtis Æchmalotarchæ authoritate præfectus, tum omnibus totius Perſidis regni oppidis. Hinc quatuor diebus diſtat *Schiphaaz*, quæ eſt metropolis *Perſiæ*, regno cognominis: quam decem fere Judæorum millia inhabitant. inde ſeptem diebus *Ginam* veni, civitatem illam magnam in ripa *Gozan* conditam. Hinc dierum quinque itinere diſtat *Samarcant* urbs magna, in regni confinio condita. Inde quatriduo petitur *Tuboth*, civitas in cujus vicinis ſylvis moſchus invenitur. Unde vigintiocto dierum emenſo itinere ad montes *Nisbon* venitur, flumini Gozan imminentes. Ibi in Perſide ſcilicet, ſunt Iſraëlitarum quidam, qui ex illo

illo loco ortum ducunt & affirmant, in urbibus *Nisboris* quatuor Iſraëlitarum tribus reſidere, tribum *Danis*, *Zebulonis*, *Aſcheris*, & *Naphtali*, captivam multitudinem primam quam Schalmaneſer Aſſyriæ rex abduxit. ſecundum illud, *Et abduxit eos in Lahlah & Habor montes Gozanis ac montes Mediæ.* illorum Iſmaëlitarum regio ad viginti dierum iter protenſa civitates & caſtella in montibus habet, quæ ab uno latere Gozan flumen alluit: nec ullo gentium jugo premuntur; ſed Principi præpoſito parent, cui nomen Doctor Joſeph Præfectus ſummus Levita. Non deſtituuntur ſapientiæ ſtudioſis, iisque qui ſementem & meſſem faciunt: & in prælium proficiſcuntur ad Æthiopum regionem, per deſerta iter facientes. Fœdere vero juncti ſunt cum *Turciæ* paganis, qui ventum colunt & deſerta inhabitant. Gens eſt quæ nec panem edit, nec vinum bibit; ſed carnem crudam qualis ex ſe eſt, non coctam vorat. homines omnes feri, quique naſi loco bina parva foramina habent, quibus ſpiritum ducunt: quolibet animali cum puro, tum impuro veſcuntur. Cæterum *Iſraëlitæ*

raëlitas diligunt. jam xv agitur annus, ex quo in Perſidem magna manu profecti urbem *Rai* occuparunt, eamque internecione deleverunt; & omni abacta præda, deſerta repetiere. Multis autem abhinc annis, nihil ſimile in tota Perſide viſum fuit. Eo audito, Perſarum rex in ipſos admodum excanduit, addens, Majorum meorum temporibus ex illo deſerto nulla turba erupit: quocirca jam vadam & eorum nomen è terra delebo. Itaque nunciis per totum regnum miſſis, omnes copias ſuas collegit: & exploratorem quendam quærenti, qui ubi caſtra illi haberent, oſtenderet; ibi repertus eſt quidam, qui regi promitteret, ſe ei locum illorum oſtenſurum: nam ex eorum,inquiebat, ſum numero. Cui rex divitias promiſit, ſi locum ſibi oſtenderet,& quæ dixerat præſtaret. Poſtea rex, quanto, inquit, commeatu ad inſtitutum, magnumque deſertum ſuperandum egemus? Tum ille, Sumite panem & aquam in dies quindecim: non enim ulla edulia reperietis, donec ad illorum regionem perveneritis. Quo præſtito, per deſertum quindecim dierum emenſi iter nihil invenerunt;

runt; & præ manibus nonniſi perpauca edulia habebant: adeo ut homines quidam & jumenta, quæ ſecum duxerant, morerentur. Quapropter rex advocatum exploratorem rogat, Ubi jam verba tua, quibus nos de hoſtibus noſtris inveniendis ſecuros reddidiſti? Cui reſpondens, à *via aberravi*, inquit. Itaque accenſâ irâ caput ejus amputari juſſit. & hoc per totum exercitum mandatum promulgavit; Cuicunque aliquid edulii ſupereſt quod communicari poſſit, cum ſocio ſuo partiatur. Tum comedentes quicquid præ manibus erat, ipſa etiam jumenta, per deſerta aliis tredecim diebus iter faciebant, donec ad montes Nisboris devenirent, ubi Judæi habitabant. Perſæ cum de die eò veniſſent, in hortis & pomariis caſtrametabantur & juxta fontes, qui ſecundum *Gozan* flumen ſcaturiunt. Cum ergo fructus maturi eſſent, edebant & vaſtabant, nemine contra eos prodeunte: cæterum in montibus multas civitates ac turres videbant. Itaque rex miniſtris duobus in mandatis dedit, ut profecti, quænam gens in montibus degeret, rogarent; & quovis modo ad illos habitatores penetrarent,

ſive

ſive navigando, ſive natando. Ibi magnum pontem invenerunt, in quo turres erant cum porta clauſa ; & ante pontem, ſcilicet ab illa parte ulteriori, urbem magnam. Itaque à citeriori montis parte inclamarunt, donec quidam accederet, quidnam vellent, aut cui parerent rogitans : quem non intellexerunt, antequam interpres veniret; qui eorum linguæ peritus de ipſis percunctatus eſt. Cui in hæc verba reſponderunt, *Subditi Perſarum* regis ſumus, atque percunctatum venimus, quinam ſitis, cuique pareatis. Tum illi, *Judæi ſumus, nec regem*, nec principem ullum è Gentibus nobis præfectum habemus. Rogarunt itaque quæ ad idolatras filios *Guts*(qui erant ex illis Turciæ paganis, ſive profanis Turcis) attinerent. quibus Judæi reſponderunt, *Confœderati ſunt*; ideo qui illorum malum quærit, quærit & noſtrum. Poſtea viri illi duo reverſi hæc Perſidis regi narrant : qui magno pavore perculſus fuit. Cum poſtridie ad eum mitterent qui prælium conſererent, reſpondit, *Vos oppugnatum non veni; ſed cum Turciæ paganis*, inquit, *inimicis meis pugnatum acceſſi*. Quod ſi mecum manus conſe-

conſeratis, ita ulciſcar ut omnes Judæos qui in univerſo regno meo ſunt interficiam: vos enim in hac regione me potentiores novi. Potius (addebat) vos benignitatem erga me exercete, ne prælio me laceſſatis; ſed cum hoſtibus meis *Copher-Alturc* agere ſinatis: vendite mihi cibos, qui mihi ac copiis meis ſufficiant. Quare Judæis conſultantibus amicitiam cum illo colere placuit, prooter Judæos quos ſuo imperio ſubditos habebat. unde ipſe cum copiis ſuis omnibus illorum regionem ingreſſus, ibidem quindecim dies ſubſtitit, magnoque honore affectus fuit. Interea miſſis literis ad *Copher-Alturc*, confœderatos ſuos, totum hoc negotium ſignificarunt. Qui univerſi montium tranſitus occuparunt magno exercitu, ſcilicet quotquot deſertum illud incolebant. Itaque quum Perſidis rex eos oppugnatum veniret, in ipſa via cum illo manus conſeruerunt: atque progreſſi viri *Copher-Alturc* in exercitu Perſico plurimos interfecerunt, ut Perſarum rex cum paucis ad regionem ſuam refugeret. Et equitum nonnemo ex ipſius miniſtris Judæum aliquem illius regionis, *Moſen* nomine, pel-

pellexit; quem ex illa regione abductum poſtea in Perſide mancipium fecit. Die quodam cum ſagittarii coram rege ludicrum exercerent, ſagittariorum nemo huic Doctori Moſi par reperiebatur. Unde rex per interpretem quisnam eſſet rogavit: eumque, ubi quidnam ſibi contigiſſet, & quî ab equite illo fuiſſet ſeductus, enarraſſet, libertate donavit; & byſſinis ac ſericeis veſtibus induto dona multa largitus eſt. quum ſubjeciſſet, ſi religionem noſtram amplecti volueris, benignitatem erga te exercebo, ut admodum ditatus aulæ meæ præficiaris; in hæc verba reſpondit ille, *Sereniſſime rex, id facere nequeo.* Eum itaque tum aſſumtum collocavit in ædibus magiſtri Sar-Schalom in cœtu *Aſphahaan*: eique magiſter iſte filiam ſuam in uxorem dedit. Qui idem D. Moſes hæc omnia mihi narravit. Inde ad *Chozaſtan* iter deflexi, regionem quam Tigris alluit: unde defluens flumen in mare Indicum delabitur, ad inſulam quandam, cui nomen *Nikrokis*. Hæc inſula ſex dierum iter patet: ubi ſementem non faciunt; & unum tantum fontem habentes, nullo in toto inſula reperto fluvio,

vio, imbrium aquas bibunt. Huc mercatores ex India inſuliſque commeant, atque ob mercaturam diverſantur. huc enim Meſopotamiæ incolæ, *Elimaniæ* & *Perſidis* quævis ſericearum ac purpurearum veſtium genera devehunt; linum etiam fluviaticum, cannabum, ſtragula, triticum, hordeum, milium, avenam, & quævis eduliorum & leguminum genera. Ita mercaturam inter ſe exercent: nam Indiarum etiam incolæ huc plurima aromata devehunt; inſulares verò ipſi inter illos proxenetæ ſunt: atque hinc tantum victum quæritant. ibidem Judæi fermè quingenti degunt. Hinc maritimo itinere in *Katipham* veni diebus decem: ubi quinque erant Iſraëlitarum millia. Hic bdellium invenitur. die menſis *Niſan* ſive Martii vigeſimoquarto delapſam in ſuperficiem aquarum pluviam excipiunt; quæ concluſa in maris fundum demittitur: deinde circa *Tiſri*, id eſt, Sept. medium eò ad maris fundum homines duo funibus deſcendentes, reptilia illa collecta educunt; poſteaque diſſecantes, has inde gemmas depromunt. Inde ſeptem dierum itinere in Haoulam veni, initium regni

regni ubi ſolē colunt,è poſteris *Chuſch*, qui aſtrologiæ incumbunt. omnes atri, fidi in negotiatione. Quùm ad eos mercatores è longinquis regionibus commeant, & in portum recipiuntur, accedentes tres regis ſcribæ nomina annotant;eosque in ipſius conſpectum adducunt. Rex autem quam in agro ſine cuſtode reliquerunt pecuniam in ſe recipit: & præfectum conſtituit in publico hoſpitio commorantem , ad quem quamcunque ullubi rem amiſſam quis invenit, apportet : qui rei ipſius domino ſigna oſtendenti eandem reddit. Hic ei mos eſt in toto ſuo regno , regi inquam illi. Cæterum à Paſchate ad anni uſque initium,omnibus æſtatis diebus æſtus ingens eſt. adeo ut à tertia (ſive nona noſtra) diei hora ac deinceps omnes homines in ædibus ſuis lateant uſque ad veſperam : ubi egreſſi luminaria per omnia fora & vicos accendunt;opusque ſuum noctu faciunt per noctem totam , quia interdiu præ nimio & ſummo æſtu nequeunt. In hac regione piper creſcit: nam arbores ſuas in agro plantant, & quidem totius civitatis ; ubi unusquisque novit hortum ſuum. arbores

depreſſæ

depreſſæ ſunt, ipſum vero piper album: ſed quum iſtud decerpunt, in crateribus collocant, ſuperfuſa aqua calida; & ad ſolem exiccant, quò indureſcat & ſolidetur, itaque nigrorem contrahat. Hic ſimiliter *calamus* odoratus & *zinziber*, aliaque multa aromatum genera reperiuntur. *Incolæ mortuos ſuos non ſepeliunt; ſed variis aromatibus condiunt, ac in ſcamnis ſecundum diſtinctas familias ſepoſitos ſindonibus obtegunt.* Sic *exiccata carne* & oſſibus, hominibus viventibus ſimiles videntur: adeo ut hîc illorum ſinguli ſuos parentes totamque familiam ab hoc tempore multis retro annis dignoſcant. *Solem* venerantur: habentque aras ſive excelſa magna, ubique extra civitatem ad dimidiatum milliare diſpoſita. Mane itaque ſoli obviam occurrunt: nam in ſingulis aris ſive excelſis veluti ſolaris orbis eſt magicis artibus confectus, qui exoriente ſole maximo ſtrepitu vertitur. Tum ſinguli cum viri, tum fœminæ, manu thuribulum ſuum tenentes, ſoli adolent. Hac ſua via ſuam ſtultitiam produnt. Inter ipſos paſſim centum ferme Judæi degunt, in omnium civitatum complexu: & ſicuti omnes

indigenæ atri ſunt, pariter & Judæi. Jud. viri boni, præceptorum obſervantes: ut qui legem Moſis ac Prophetas habeant, & pauca è Talmude ac Conſtitutionibus. Hinc viginti duobus diebus ad Inſulas *Ckenerag* appuli: ubi ſunt incolæ qui colunt ignem, vocanturque *Dugbijim.* Inter quos viginti tria Judæorum millia. Illi vero *Dugbijim* ubique in templo ſuo idololatrico ſacerdotes habent: qui ſacerdotes eximii præſtigiatores ſunt; adeo ut in toto orbe pares non habeant in ullo præſtigiarum genere. Porrò ante excelſum ſive altare oratorii ſui vallem magnam habent, ubi ſingulis mundi diebus magnum ignem accendunt, quem vocant divinitatem; per quem filios ſuos tranſmittunt: mortuoſque ſuos etiam in medium ignem projiciunt. Quin & iſtic inter eos reperiuntur regionis iſtius magnates, qui ſe vivos igni comburendos devovent. Quum verò is qui votum concipit filiis ſuis domeſticis & cognatis indicat, ecce de meipſo votum concepi, ut me vivum in ignem projiciam; reſpondent omnes ac dicunt, ô te beatum, bene ſit tibi. Qui ipſo voti exolvendi die con-

convivium ei magnum parant: ac ipſe deinde equo ſuo vectus, ſi dives ſit; aut ſi fuerit pauper, pedibus ſuis ad vallis uſque marginem procedit, ſeque in medium ignem projicit, tota ſua familia cum tympanis & tibiis jubilante, donec totus combuſtus fuerit. Elapſo triduo, è primariis ſacerdotibus duo ædes ejus filioſque adeunt, atque ita præcipiunt, Domum præparate, quia pater veſter hodie ad vos veniet, ut vobis facienda injungat: poſtea ipſi aſſumunt è civitate teſtes. Ecce autem ſatanæ illius formâ accedenti obviam procedunt uxor ac liberi; eumque, quî in illo mundo ſeſe habeat, percunctantur. ille reſpondet, ſe ad ſocios ſuos acceſſiſſe quidem, ſed ab ipſis non recipi, priuſquam filiis domeſticis & vicinis debita exolverit. Poſtea edicta proponit & facultates ſuas liberis diſtribuit, præcipiens ut quicquid ulli debet, perſolvant; & quicquid homines alii debent, ab iis exigatur: teſtibus mandata ejus excipientibus, quò in viam ſuam diſcedat. illi deinde eum nullo modo vident. Hoc mendacio ac dolo, & hiſce præſtigiis, quas ipſis ſtruunt iſti ſacerdotes, obfirmantur: atque ſibi nullos

eſſe in toto orbe pares, prædicant. Inde in *Sinam* Orientis terminum tendentibus, quadraginta dierum iter eſt: & maris, quo iter faciunt, nomen eſſe ferunt, mare concretum; ubi ſydus *Orion* dominatur proceloſum ibi ventum ſubinde excitans. itaque tum nullus nauta navi ob venti vehementiam vehi poteſt, adeoque etiam ventus navem in iſtud mare concretum protrudit, ut è loco iſto extricari nequeat. quo fit ut homines illic donec commeatus abſumatur hærentes, poſtea moriantur. quapropter multæ naves ac ratione pereunt. Verumenimverò homines artem quandam excogitarunt, qua ex hujuſmodi funeſto loco evadere poſſent: nam ſumptas ſecum juvencorum pelles, ſi ventus ille irruat, eoſque in mare *Concretum* protrudat, arripiunt; ac ſe iis inſerunt gladium ſinguli manu tenentes, pelleſque intus conſuentes, ut eò aqua penetrare nequeat: poſteaque ſeſe in mediam aquam projiciunt. Quos proſpicientes magnæ aquilæ gryphes dictæ, jumenta eſſe putant: & deſcendentes arripiunt eos atque in aridam exportant, iiſque in monte aut valle ad devorandum inſident.

ſident. Sed homines incluſi feſtinant & illas gladiis cædentes occidunt: & è pellibus egreſſi incedunt, donec ad terram habitatam perveniant. Mortalium multi hoc modo evadunt. Inde poſt triduum quindecim dierum navigatio per mare in Gingalam inſtituta fuit: ubi mille ferme Iſraëlitæ. Unde in *Cholan* ſeptem diebus per mare vectus fui: ubi nullus Iſraëlita. Hinc duodecim diebus *Zebid* uſque perveni: ubi pauci Judæi. Hinc diebus octo in Indiam continentem: quæ *Baadan* vocatur, eſtque eadem cum *Adan* in Telaſſar ſita. Hic magni montes plurimique Iſraëlitæ, nulli gentium jugo ſubditi; ſed urbes atque turres in montium jugis incolentes, in regionem *Hammaatom* deſcendunt, quæ *Lybia* dicitur, & *Edomæorum* ditio eſt, ipſique ſunt *Lybies* Lybiam inhabitantes: atque Judæi bella cum iis gerunt, ſpolia ac prædam reportantes; poſteaque in montes aſcendunt. nec quiſquam eos bello aggredi poteſt. Iſtinc ex illis Judæis, qui in regione *Adan* degunt, multi in Perſidem & Ægyptum venire ſolent. Inde in regionem *Aſwaan* per deſertum *Schebæ* viginti dierum iter eſt ſecun-
 dum

dum *Piſchon* flumen, quod ex Æthiopia deſcendit. Habet illa regem, quem Sultan *El-Habaſch* vocant. ex incolis quidam beſtias in omnibus referunt, herbis ad flumen *Piſchon* creſcentibus veſcentes; nudi per agros vagantes; nec aliorum hominum inſtar ratione utentes, utpote qui cum ſororibus rem habeant, promiſcuo ac obvio concubitu ardentes. Regio ipſa calidiſſima eſt. Cum alii *Aſwanæi* horum regionem ad prædandum invadunt, unà ſecum panem, triticum, uvas paſſas & ficus afferunt & coram iis projiciunt: quos ad cibum accurrentes captivos abducunt, & in Ægypto, omnibuſque regnis vicinis divendunt. Hi ſunt nigri iſti ſervi ex *Hamo* prognati. Ab Aſwaan ad *Halavan* duodecim dierum iter eſt: ubi trecenti ferme Judæi. Hinc mercatorum catervæ diebus quinquaginta per deſertum *Altſahra* dictum ad provinciam *Zevilam* nomine (quæ eadem eſt cum illi *Havila Gineæ*) proficiſcuntur. Porrò in illo deſerto arenoſi montes ſunt: ideoque exortus ventus catervas illas arenâ obruit, omneſque in arena ſuffocantur. Qui verò evadunt, ferrum, æs, fructuum ac leguminum

genera

genera & ſal unà ſecum portant: quinetiam inde aurum & pretioſas margaritas afferunt. Provincia eſt *Æthiopiæ* quæ *Alhabaſch* cognominatur, verſus occidentem. Porro ex *Halavan* tredecim diebus in civitatem *Kouts* devenitur, quæ regni Ægyptiaci initium eſt: ubi triginta circiter Judæorum millia. Hinc *Pium* uſque quinque dierum iter eſt, quæ olim *Pithom* dicebatur: ubi viginti ferme Judæi. Et ad hæc uſque tempora ſtructuræ patrum noſtrorum conſpiciuntur rudera. Hinc ad *Mitsraïm* quatridui iter eſt: quæ urbs magna in *Nili* (ſive Al Nil) ripa, duo ferme Judæorum habet millia. Hic duæ ſynagogæ: una eorum qui in Iſraëlitica regione nati ſunt, quæ eſt Syrorum ſynagoga; altera Babyloniorum, ſive ſynagoga Irhakijim: quæ in ſectionibus & tractatibus legis eundem morem non ſervant. quia Babylonii ſingulis ſeptimanis ſingulas ſectiones legere conſueverunt, quemadmodum in totis Hiſpaniis fieri ſolet; adeoque legem ſingulis annis abſolvunt: at in Iſraëlitica nati hunc morem non ſervant; ſed ſingulas ſectiones in tres tractatus diſpeſcentes, legem triennio de-

mum abſolvunt. Inter eos receptum & conſtitutum, ut in legalis feſtivitatis ſimiliterque legiſlationis ſolennitate congregentur omnes & ſimul precentur. Utriſque ut ſummus princeps præeſt D. Nathanaël conſeſſus caput, omniumque Ægypti cœtuum, ut magiſtros & lectores creet, antiſtes; idemque miniſter coram magno rege, qui in *Tſoanis* palatio ad urbem Mitſraïm habitat. Hæc omnium Arabum civitas regia eſt: ubi fidelium Imperator *Ali* filius *Abitalebis*. Omnes regionis ipſius incolæ dicuntur rebelles: quia contra Imperatorem fidelium *Abaſidam*, qui Bagdadi habitat, rebellarunt. Alter alteri perpetuo invidet. Hic ſolium ſuum *Tſoane* collocavit, quod hic eſſet locus qui ipſi arrideret: ſingulisque annis bis in publicum progreditur, ſemel in illorum feſto; præterea quum Nilus flumen exundat. Cæterum *Tſoan* muro cingitur; non item *Mitſraïm*, ſed eam ab una parte flumen alluit. Urbs magna eſt, foris ac tabernis inſtructa, Iudæis multis, iiſque divitibus eam inhabitantibus. Eò nec pluvia deſcendit, nec gelu aut *nix unquam* viſa fuere; ſed regio calidiſſima

eſt,

eſt. Porrò flumen ſemel in anno exundans menſe *Auguſto* totam terram operit, eamque ad quindecim dierum iter irrigat : aquis menſe Auguſto & Septembri terræ faciem ad eam irrigandam & humectandam occupantibus. Habent autem columnam marmoream, quam ibi prudenter ante inſulam quandam in media erexerunt aqua:quæ ex ipſa aqua duodecim cubitis exſtat. quocirca exundante aqua eamque operiente, jam intumuiſſe aquam & Ægypti regionem ad quindecim dierum iter obtexiſſe cognoſcunt; quod ſi columnæ medium operiat, nonniſi dimidiam regionem obtexiſſe. Singulis verò diebus quidam ea omnia dimenſus Tſoane & in urbe Mitſraïm proclamat dicens, *Tribuite Deo gloriam*, quia hac vel illa *quantitate excrevit flumen*: ſic quotidie dimetitur & proclamat. Si flumen totam columnam obtegat, ſaturitas magna toti terræ Ægypti ſupervenit. flumenque paulatim creſcit, donec terram ad itineris quindecim dierum extremitatem operiat. Tum quicunque agrum habet,conducit operarios, qui in agro alveum magnum effodiant:quò deinde

piſces creſcente aqua ingreſſi, deficiente paulatim aquâ in iſtis alveis relinquuntur. Hos captos agrorũ poſſeſſores comedunt, mercatoribuſq; divendunt, qui eos ſalitos ad quævis loca devehunt. Hi piſces pinguiſſimi ſunt: adeoque regionis proceres ſumto eorum adipe, lucernas in iſta regione accendunt. Quod ſi quis, quum ex iſtis piſcibus plus ſatis edit, aquam ex illo biberit flumine, hoc nullum damnum inferet: quia iſta aqua medicamenti loco erit. Cæterum hominibus aliis de fluminis inundatione quærentibus reſpondent Ægyptii: in regionem quandam ſupra *Æthiopiam* (quæ eſt Havila) largos demitti imbres, quum flumen exundat, & hanc utplurimum incrementi eſſe cauſam, quod regio inundatur. Quo tempore flumen non intumeſcit, nec etiam ſeritur: ideoque gravis regionem invadit fames. Agros ſub finem *Octobris* conſerunt, flumine jam in locum ſuum recepto: menſe *Februario* metunt hordeum; *Martio* triticum. Quo menſe Ægyptiis matura ſunt ceraſa, nuces, cucumeres, cucurbitæ, ſiliquæ Græcæ, fabæ, frutex galbani, ciceres: item olerum genera, portulacæ & aſ-

paragi,

paragi, balſamum, lactuca, coriandrum, cichorium, braſſicæ & uvæ. Regio omnibus bonis affluit: hortoſque ac pomaria cum è lacubus, tum è flumine irrigant. Nam flumen Mitſraïm influens, inde in quatuor fertur capita: uno alveo *Damiatam* tendit (quæ & Caphtor) ubi in mare illabitur; alio alveo ad urbem *Raſid* Alexandriȩ proximam defluit, ibique in mare deſcendit; tertio alveo delabitur viâ Aſmonis urbis in Ægypti confinio maximæ, &c. Secundum quatuor iſtos alveos ab utroque latere civitates ſunt, caſtella & pagi: quò omnes cum navibus, tum continenti pervenire poſſunt. Nec ulla in orbe regio, quemadmodum iſta habitatur: eſtque ampliſſima regio, omnibus bonis inſtructa. Cæterum ab antiqua Miſraïm ad novam duæ ſunt paraſangæ. illa antiqua devaſtata eſt: veſtigia tamen antiquorum murorum & domorum in hodiernum uſque diem conſpicua ſunt. quinetiam Joſephi horrea ibidem plurima. Eodem loco *pyramis* quædam eſt, magica arte ſtructa, cui nulla in toto orbe ſive uſpiam terrarum par reperitur. Illa vero (ſcilicet horrea) è calce & lateribus firmiſſima

miſſima ſtructura fuere ædificata. Ibi extra urbem Doctoris noſtri beati ſynagoga antiquiſſima conſpicitur; ibidemque ſenex quidam eam regit, ſynagogæ miniſter: quem ſapientum diſcipulum Alſcheſch *Albounatſer* nuncupant. Iter autem per Mitſraïm devaſtatam eſt trium milliarium. Inde ad regionem *Goſchenis* octo ſunt paraſangæ: eaque eſt *Bolzir Salbis*: ubi tria ferme Judæorum millia. Urbs magna eſt. Hinc dimidio die perveni *Iskaal Lein Alſchemes*: quæ & *Rameſes*, jam devaſtata: ubi ſtructuræ, quam ſtruxerunt beati patres noſtri, exſtant reliquiæ; & veluti turres ex lateribus ſtructæ. Hinc *Albubiigh* diei unius iter eſt: ubi ducenti circiter Judæi. inde dimidio die *Manziphtam* veni: ubi etiam ducenti ferme Judæi. Ulterius *Remiram* uſque quatuor ſunt paraſangæ: ubi ſeptingenti circiter Judæi. Unde *Lambala* quinque diebus diſtat: ubi Iſraelitæ ferme quingenti. Hinc ad *Alexandriam* bidui iter eſt: eam *Alexander Macedo* de ſuo vocavit nomine, firmiſſimâque ac pulcherrimâ ſtructurâ condidit; domos, inquam, palatia, & muros opere pulcherrimo. Extra urbem *Ariſtotelis* præ-

præceptoris Alexandri ſchola eſt: ubi pulchra & magna ſtructura, marmoreis columnis inter ſcholas collocatis. Nam viginti ferme ſcholæ viſuntur: quia eo ex toto mundo confluebant, quò *Ariſtotelis Philoſophi ſapientiam addiſcerent*. Urbs ipſa eſt ſuperiori loco condita; ab inferiori parte convexa, innitens fornicibus. Et fora in ipſa frequentantur ex ejus plateis, quas nemo videt: quarum una ad milliare inde à porta Raſchid ad maritimam portam extenditur. Ubi aggerem ad portum Alexandriæ per integrum milliare intra ipſum mare, Alex. duxit. Ibi turris magna ab eo exſtructa fuit, quæ dicitur *Magraa*, Arabicè verò *Megar Alexandriæ*. in cujus faſtigio vitreum confecit ſpeculum: ita ut naves omnes, quæ illam è Græcia vel Occidente oppugnatum ac læſum veniebant, ubi diebus quinquaginta hinc abeſſent, ex hoc ſpeculo indigenæ proſpicerent, & hoc pacto ſibi ab illis caverent. Donec tempore quodam, diu poſt Alexandri mortem, quædam è Græcia navis appulſa eſt, cujus navarchus dicebatur Theodorus, Græcus natione, omnium rerum intelligens (eo autem tempore

Græci Ægyptiorum jugo ſubjecti erant.) Qui Ægyptiorum regi magnum argenti, auri & ſericearum veſtium munus afferens, ante ſpeculum ſubſtitit: quod mercatores omnes qui accedebant, ibi navalia habere ſoliti eſſent. Cum illo ſingulis diebus cibum capiebat præfectus turris ſpeculatoriæ, cum ipſe, tum miniſtri: adeo ut ille hujus tenens gratiam, quotidie illuc iret, indeque rediret. Itaque quodam die præfecto ſympoſium inſtituens, eum vino inebriavit: & tam largiter ipſi omnibuſq; ſervis infudit,ut omnes ſomno ſopirentur. Tum navarchus cum claſſiariis ubi ſurrexiſſent, ſpeculum fregerunt & iter ſuum eadem nocte repetierunt. Ab eo tempore ac deinceps Edomæi eò ſcaphis magnisque navibus venire cœperunt, atque illis inſulam magnam Cretam, & Cyprum tandem eripuerunt: quæ in hodiernum uſque diem *Græcorum* imperio parent. Nec Ægyptii ultra vires ſuas coram Græcis obtinere potuerunt. Et hactenus turris iſta ſpeculatoria,iis qui mare ſulcant, itineris index eſt: qui enim Alexandriam ex omnibus locis tendunt, eam eminus a centum

uſque

uſque milliaribus conſpiciunt; ut quæ facis lumine interdiu ac noctu lucem præbeat. adeo ut nautæ ignem è longinquo videntes, in ejus conſpectu iter faciant. Regio hæc commerciis frequentata, omnium populorum eſt negotiatrix: & è toto Chriſtianorum imperio *Alexandriam* veniunt, è regionibus *Valentiæ*, *Toſcanæ*, *Longobardiæ*, *Apuliæ*, *Malchi*, *Siciliæ*, *Cracoviæ*, *Cordubæ*, *Hiſpaniæ*, *Ruſſiæ*, *Germaniæ*, *Helvetiæ*, *Daniæ*, *Gelats*, *Flandriæ*, *Hitar*, *Normandiæ*, *Franciæ*, *Pictonum*, *Andegavorum*, *Burgundiæ*, *Mediolani*, *Provinciæ*, *Genuæ*, *Piſarum*, *Aquitaniæ*, *Aragoniæ* & *Navarræ*. Similiter è plaga occidentali Muhammedanorum, *Andaluzia* & *Algarbia*; *Aphrica* & *Arabiæ* regionibus: quinetiam ex Indicis locis, & *Havila*, *Æthiopia* reliqua, *Lybia*, *Aljerman*, *Meſopotamia*, *Syria* & *Javanenſibus* qui dicuntur Græci, ac denique Turcia. Eò etiam multi merces ex *India*, id eſt, *omnia aromatum* genera deferunt: quæ ab iſtis Chriſtiani mercatores coëmunt. Itaque civitas commerciis tumultuatur: in qua ſingulæ gentes diſtinctas tabernas habent. Ibi in maris littore marmoreum conſpici-

ſpicitur ſepulchrum, cui omnia avium aliorumque animalium genera inſculpta ſunt, omnia cum priſcorum inſcriptione, quam nemo legere poteſt. E conjectura ferunt, olim ibi regem quendam ante diluvium fuiſſe ſepultum: cujus ſepulchri longitudo quindecim ſpithamarum erat; latitudo autem ſex. Cæterum Alexandriæ tria ferme Iſraëlitarum millia degebant. Inde biduo *Damiatam* veni: quæ olim *Caphtor* dicebatur; & jam ducentos Iſraëlitas habet. Unde dimidio die *Sonbatum* itur: cujus incolæ linum ferunt & candidas telas texunt, quas in omnes mundi regiones deferunt. Hinc *Elam* uſque (ea quondam Elim dicebatur) quatridui iter eſt: eamque Arabes, qui in deſerto habitant, incolunt. Hinc *Rephidim* bidui itinere diſtat: ubi Arabes; nulli verò Iſraëlitæ degunt. Inde uno die in montem *Sinai* pervenitur: in cujus cacumine cœnobium quoddam monachorum qui *Syriani* dicuntur. ad radices verò ſita eſt arx magna quam montem *Sinai* vocant, cujus incolæ Chaldaicè loquuntur (mons iſte parvus eſt, quinque dierum itinere ab Ægypto diſtans) & Ægyptiis parent.

Porrò

Porrò mare *Suph* ſive rubrum à monte Sinai diei unius itinere abeſt;eſtque Indici maris ſinus, qui *Damiatam* verſus reflectitur. unde maritimo itinere, uno die diſtat *Tunes*, cujus antiquum nomen Hanas: ubi quadraginta circiter Iſraëlitæ. inſula eſt in medio mari. *Huc uſque Ægyptiorum regnum.* Hinc itinere maritimo viginti diebus peninſulam *Meſſanam* appuli, initium inſulæ *Siciliæ.* ſinui, cui Siculum fretum nomen eſt, quique *Calabriam* à Sicilia ſeparat, imminet. Illic ducenti ferme Judæi: regio ipſa omnibus bonis, hortis & pomariis abundat; quò Chriſtianorum plurimi congregantur, Hieroſolyma perrecturi; quod iſtinc commodus detur tranſitus. Inde biduo in urbem veni, cui jam *Palermo* nomen: maxima eſt, cum in longitudinem, tum in latitudinem duo patens milliaria. in qua magnum *Wilhelmi* regis palatium: & ex Judæis mille ferme ac quingenti; Chriſtianorum verò & Muhammedanorum quamplurimi. Regio fontibus, fluviis, tritico, hordeo, hortis & pomariis dives, ut in tota *Sicilia* ſimilis non reperiatur: urbs enim illa eſt vicarii regii, qui Munimentum nuncupatur. Ibi

S 5 omnia

omnia fructiferarum arborum genera: in medio autem fons magnus, quem muro cinxerunt, ibidem piſcinam concinnantes, quæ *Albehira* dicitur. ubi multa piſcium genera, & naves regiæ argento auroque obductæ, quibus rex cum uxoribus ſuis animi recreandi cauſa vehi ſolet. Viſitur etiam magnum in horto exſtructum palatium, cujus ſtructuræ parietes figuris diſtincti, auro & argento obducti ſunt; pavimentum verò lapidibus marmoreis eſt conſtratum, cui omnium imaginum quæ toto orbe reperiuntur, genera ſunt inſculpta. Itaque iſtius regionis ſtructura talis eſt, ut ei ſimilis alibi non conſpiciatur. Inſulæ initium à Meſſana ſumitur: quà omnes qui mundum peragrant, ſuos habent tranſitus, qui producti per *Cataniam, Syracuſas, Mazaram, Petaleriam, Trapanam* uſque, ſex dierum itinere in iſta inſula terminantur. Circa *Trapanam* autem corallium reperitur, quod Almurgan nuncupatur. Inde *Romam* triduo perveniri poteſt; & Româ itinere terreſtri diebus quinque *Lucam*: unde duodecim dierum itinere pervadunt montem Apenninum, urbem *Morignano*, & Italiæ

liæ Alpes,uſque ad civitatem quæ vulgo *S. Bernardin*, Germaniæ initium. Hęc regio montibus ac collibus ſcatet: in qua Iſraëlitarum cœtus omnes ad magnum Rheni flumen habitant,inde à *Colonia*, quæ imperii initium eſt, *Suſenburk* uſque, Germaniæ terminum; uſque per quindecim dierum itinera: quondam terra *Aſchcenaz* dicebatur. Hæ ſunt Germaniæ civitates, ubi cœtus Iſraëlitarum (qui omnes ad officium prompti) reperiuntur, non procul à Moſella: *Coblentz*, *Andernach*, *Cub*, *Creutznach*, *Bing*, *Germesheim*, & *Munſter* ſuperior. Præter omnes illas Germaniæ civitates, quarum mentionem fecimus, ſunt Argentoratum ſive *Straesburg*, *Duisburg*, vel potius *Ausburch*, *Mantern*, *Peſinges* vel potius *Freiſing*, *Bamberg*, *Tſor* & *Regensburch* in imperii confinio: in quibus etiam civitatibus Iſraëlitarum multi habitant,ſapientiæ ſtudioſi ac divites. Hinc ulterius in *Bohemiæ* regionem devenitur. quæque ibi vocatur *Praga*, Schlavoniæ initium eſt: quam Judæi ibi habitantes Terram *Canaan* nuncupant, quia iſtius regionis homines filios filiaſque ſuas omnibus nationibus promiſcue

miſcue divendunt,quemadmodum & *Ruſſi*. Regnum illud late patet, inde à porta *Pragæ* ad portam uſque *S. Nicolai* vel potius *Pinego*, urbis in regni termino magnæ. Regio montoſa & ſylvoſa eſt: ubi iſta animalia reperiuntur, quæ *Veergares* dicuntur; aliàs martes Scythicæ. Hieme præ ingenti frigore nemo foras egreditur. Hactenus de Ruſſiæ regno. Quod ad *Franciæ* regnum attinet,quam terram *Tſarpkath* dicimus, inde ab urbe *Alſodo* (forte regione Elſas) ſex dierum iter eſt *Pariſios* uſque,urbem maximam, *Ludovici* regis regiam: quæ ad Sequanam ſit.

JOSEPHI BARBARI
Iter ad Tanaim.

TErra illa, (ut evidentiſſimis rationibus Geometræ probant) in comparatione cœli tam parva eſt, quale eſt punctum poſitum in medio circumferentiæ circularis. Cujus, (propterea quod major illius pars aquis cooperta eſt, ſeu intemperata propter nimium frigus & calorem) pars ea, quæ inhabitatur, multo etiam minor

eſt. Nihilominus tanta eſt ibi hominum raritas, ut pauci ibi inveniantur, qui majorem partem illius perluſtrarunt: reperiatur verò nullus, niſi fallor, qui totam eam viderit. Illi autem, qui partem viderunt aliquam, hoc jam tempore inprimis mercaturæ vel navigationibus ſunt homines dediti. Quibus duobus exercitiis tam inſignes fuerunt, ut ab initio hucuſque majores mei & Domini Veneti, ut veriſſime dici poſſe putem, eos hac in parte ſolos principatum tenere. Et quia Imperium Romanum non ſeſe per univerſum orbem, ut olim, effundit: diverſitas etiam linguarum, morum & religionis mundum huncce inferiorem diviſit: maxima pars illius minimæ; quæ nunc inhabitatur, incognita eſſet, ſi mercatores & navigatores Veneti eandem non aperuiſſent atque illuſtraſſent. Inter quos, ſi ullus eſt, qui noſtro hoc tempore partem aliquam illius peragravit, poſſim tuto affirmare, me eum eſſe. Siquidem fere univerſum juventutis meæ tempus, meliorem etiam vigoris partem, in locis remotis ſum moratus, & quidem apud gentes barbaras, homines ab omni civili-

vilitatę alienos,morumque & conſuetudinum noſtrarum expertes. Ubi res vidi & probavi multas : quæ cum hic in uſu non ſint, illi, qui (ut ita dicam) nunquam Venetiis urbe egreſſi ſunt, ſi perſequi eas omnes ſcribendo voluero, mendacia fortaſſe me vendere dicent. Atque hæc principalis rei cauſſa extitit, propter quam minus curæ habuerim, non ſolum deſcribere ea,quæ vidi,ſed nec verba de iisdem facere.

Adſtrictus autem cum eſſem precibus ejus , cujus in me imperium erat ſingulare , & intellexiſſem una multa de rebus illis , quæ omnino incredibiles eſſe viderentur, ſcripta reperiri in Plinio, Solino, Pomponio Mela,Strabone, Herodoto, Diodoro , Dionyſio Halicarnaſſæo , & modernis reliquis, ut ſunt M. Paulus , Nicolaus Comes, & Venetiani noſtri,Joannes Vandæus Anglus ; recentesque alii , ut Petrus Quirinus, Alviſius de Moſto, Ambroſius Contanus: facere non potui , quin omnes illas res , quas mihi quidem videre contigit, conſcriberem,in honorem inprimis Dei mei, qui me ab infinitis tutatus eſt periculis : deinde ut ſatisfacerem illi , qui me adeò ſibi devinxit.

vinxit. Facio etiam lubens propterea, ut proſim poſteris meis in ea fortaſſe, ubi ego fui, olim loca ituris: denique ut commodo alicui ſim & inclytæ Reipubl. noſtræ, ſi eidem aliquando occurrat, aliquem ex ſuis in orbis eas partes ablegare.

Dividam autem ſermonem meum in duas partes. In illarum prima iter meum ad Tanaim narrabo: In altera illud, quod in Perſiam ſuſcepi. Ita vero deſcribam, ut pericula pleraque & difficultates, quæ mihi interdum occurrerunt, omittam.

Anno à nato Salvatore cIↃ cccc xxlvi inſtituere cœpi iter meum ad *Tanaim*, ubi paſſim per annos ſedecim moratus ſum, & regiones omnes illas tam mari quam terra magna cum diligentia & curioſitate perluſtravi.

TARTARIA ipſa, ſeu is, qui in medio ejuſdem conſiſtit, ad ortum ſitus flumen *Ledile* habet: ad Occaſum & Meridiem POLONIAM: ad Septentrionem RUSSIAM, ad Auſtrum verò quæ plaga verſus mare MAGNUM ſpectat, *Alaniam*, *Cumaniam*, & *Gazariam*, quæ omnia loca confinia mari *Tabacchio* ſive Caſpio ſunt, & poſita deinde

de inter illa, quæ modo dixi, confinia.

Alaniæ nomen à populis deſcendit Alanis, qui lingua patria & vernacula dicti ſunt *As*. Hi Chriſtiani fuere, & expulſi ac deſtructi à Tartaris. Regio ipſa, montium, fluminum, & planiciei capaciſſima eſt. In ea monticuli inveniuntur manu facti, qui oſtendunt, monumenta & ſepulturas olim fuiſſe. Habent autem in ſummitate aliqui eorum grande ſaxum, cum foramine certo in loco facto, in quod conjiciunt crucem ex integro alio lapide fabricatam: & ejuſmodi ibi innumerabiles ſunt. In modo dictorum monticulorum uno ingentem abſconditum eſſe theſaurum, accepimus. Cui auditioni hæc res fidem fecit, quod Petrum Landum Conſulem olim, tum regionis illius ad Tanaim Cairo unus acceſſit, cui nomen erat *Guldebin*, qui cum Cairi eſſet, intellexiſſe ſe dicebat, ex fœmina Tartara, maximi ponderis theſaurum in monticulorum horum uno *Contebe*, dicto, ab Alanis repoſitum eſſe. Et hæc fœmina certis eum hoc ipſum ſignis, ut in monte ſic in terra monſtratis edocuit.

Quo circa Anno cIↃ CCCC XXLVII. cum

cum in urbe *Tana*, ea nocte, quæ ſecuta eſt diem feſtivitatis D. Catharinæ, ſeptem noſtrum mercatores in domo Bartholomæi Roſſi civis Veneti conveniſſent, ut Franciſcus Cornarus, qui frater erat Jacobi Cornari; Catharinus Contarenus, qui Conſtantinopoli poſtea verſatus eſt; Joannes Barbaricus, urbe Candiæ Andria ortus, Joannes de Valle, qui Patronus Triremis (Gardæ deinde mortuus) ſimul cum aliis quibuſdam Venetis Dorbenthum profectus eſt una triremi quam ædificavit, impulſus à Domino ejus oppidi, eaque populatus eſt naves illas, quæ *Strawa* veniebant, ita ut admirabilis res eſſet. Sed eo nunc omiſſo, ſed inſtitutum meum perſequar.

Hic monticulus qui ſupra fluvium ſitus ſexaginta millibus urbe Tanai diſtat.

Audietis hic miraculum ingens, & res dictu fere incredibiles. Omnia illa, quæ prædicta fuerunt, invenimus: ob quæ reperta majorem nobis de eo ſpem feceramus, de quo poſtea nobis dictum fuit. Cauſa etiam hæc erat, cur (cum certi aliquid nobis de inveniendo theſauro polliceremur) nos, qui a-

lios mercede conduxeramus, geſtaremus corbitas melius,quam alii:egoque docui qui illæ fierent. Admirabile inprimis viſum eſt nobis, quod ſolum nigrum erat propter herbas, inde infra ubique carbones erant. Quod equidem fieri facile potuit: nam in proximo habentes ſaliceta, facile ex iis ignem in monte extruebant.Inde cineres reperti ad palmi profunditatem:quod ipſum etiam poſſibile ſatis eſt. Siquidem vicina habentes arundineta, igne ex iiſdem facto cineres habere potuerunt. Deinde conjectæ ibi fuere milii corticulæ, itidem unius craſſitiem ſpithami exæquantes.Et quia dici fortaſſe poſſit, eos panicium ex milio confectum comediſſe,ſervataſque cortices condidiſſe in locum illum, perlubens ſcire velim, quantum eos milii habere oportuerit ad explendam latitudinem illam, qualis nempe monticuli iſtius fuit,milii corticum ſpithamum unum craſſi ibidem ſervatorum. Sub his poſitæ erant ſquammæ piſcium, ſive Raiarum, & id genus aliarum, palmi unius inſtar craſſæ. Et quia dicere quis poſſet, in flumine illo Raiarum ſatis inveniri, adeo etiam,ut integer iiſdem

mons

mons cooperiri poſſit, conſiderandum lectori relinquo, quam poſſibilis aut veriſimilis res ea ſit. Duntaxat de hoc ego certus ſim, quod eandem cognoverim veriſſimam eſſe, qui deinde apud me ipſum cogitavi, quod ei, qui ſepulturam illam curavit extrui (cui nomen erat Indiabu) cum iis uti voluiſſet ceremoniis, ut in rebus proceſſu eo (qui tum temporis forte ſervabatur) opus fuerit, ut multo ante de re deliberaret, curaretque colligi & reponi per tempus aliquod omnes eas res. Eo vero nos cum excavando proceſſiſſemus, nihil tamen dum de theſauro illo inveniſſemus duas in monticulum ſolidum foſſas facere conſtituimus, quæ quatuor in longitudinem & latitudinem paſſus continerent. Et hoc molientes, reperimus terram albam & duram, adeo ut gradus in ea fecerimus, per quos geſtabamus corbitas. Inferius autem cum circa paſſus fere quinque deſcendimus, reperimus in loco illo vaſa aliquot lapidea, eorum quædam cinerem continebant, quædam carbones, quædam erant vacua, quædam vero tergoribus oſſium piſcinorum plena. Reperimus una quinque aut ſex globulos

(Pater noſter vulgo dicunt) magnitudine pomi auraici. Erant autem ex terra cocta & pellucida confecti, ſimiles iis qui in Marchia fiunt. Ibidem etiam invenimus dimidium Ramini parvi argentei, cui ſupra impreſſum fuit velut ſerpentis caput quoddam. Dies autem Solis cum adveniſſet, in medio nobis opere conſiſtentibus, ventus ab Ortu repente tam atrox exortus eſt, qui ſolum univerſum concuteret, & ligones quibus ad excavandum uſi ſunt, & lapides in faciem operatorum, ita ut cruentos vulneratoſque redderet, conjiciebat. Quocirca diſceſſum illinc paramus, alia fortaſſis graviora nolentes experiri, fuitque dies Lunæ Paſcha ſequens. Locus autem ille olim cavea Guldebini dictus: abhinc ad hodiernum uſque diem cavea Francorum appellatur. Hæc ita res nos à propoſito deſiſtere coegit. Quamvis paucorum ſpacio dierum tantum confecerimus laborem, qualem vix per eandem temporis moram non à mille etiam hominibus confici quis poſſe ſtatuat. Certi aliud nihil de theſauro illo nobis conſtat: qui ſi (quantum nobis quidem conjicere licuit) aliquis ibi fuit, cauſa

propter

propter quam conditus ſervaretur, ea fere eſſe potuit, quod hic Indiabu, qui Alanis dominabatur, cum intellexiſſet, Tartarorum Imperatorem ſui debellandi cauſa maximo cum exercitu & copiis adventantem: & cum theſaurum illum defodere decreviſſet (ſic ut à nemine illud animadverti poſſet) ſuum ſibi ſepulchrum more ejus gentis faciendum ſimulavit, & occulte in loco eo reponi juſſit, id quod ei libuit, & ſupra deinde monticulum illum extrui.

Religionem Maumeticam, quod eam Tartari acceperunt ab initio hucuſque, anni jam centum elapſi videntur. Tametſi autem ante quidam eorum religioni Maumeticæ addicti erant, in univerſum tamen liberum erat cuique, eam quæ ſibi maxime placeret, religionem ſequi. Unde quidam eorum ſimulachra adorabant, ex ligno & pannis confecta, eaque impoſita carris vehebant.

Religionis autem Maumeticæ initium fuit eo tempore, quo Præpoſitus nationi Tartaricæ erat quidam nomine Hedeghus, & Sidahameth Can Tartaris imperitabat. Hic Hedeghus pater fuit Nauri illius, de quo in præ-

ſentia ſermo nobis futurus eſt.

Anno Chriſti cIↄ. cccc. XXLVIII. Tartariæ dominabatur Imperator quidam nomine Vlumahumeth Can, alio nomine Magnus Imperator Maumeticus dictus. Is cum diu regnaret, & aliquando cum exercitu ſuo foris verſaretur: Capitaneum habuit Naurum, qui (ut ſupra dictum) filius Hedighi erat, à quo primum impulſi Tartari, religionem Maumeticam aſſumere coacti ſunt. Diſſidium aliquando ortum eſt inter Naurum & Dominum ejus Vlumahometum. Unde factum, ut ab eodem Naurus diſcederet, cum certis aliquot legionibus, quæ ſequi eum voluerunt. Profectus eſt autem verſus flumen L' DILE, ubi erat quidam nomine Chezimameth, quaſi Maumetum parvum dicas, qui de ſanguine ortus erat Imperatorum iſtorum. Una autem cum fœdus feriiſſent, ambo illi exercitu copiiſque conjunctis in aciem contra Vlumahetum deſcendere conſtituerunt. Iter autem fecerunt prope Gitercanum, & venerunt per campos Thumeni, cumque circuitu uterentur, Circaſiam ire verſus flumen Thanaim cœperunt, &

ſinum

ſinum maris Caſpii (vulgo Tabacche) quod, ut & Thanais, gelu totum erat conſtrictum. Ac quia magna hominum, pecudumque infinita multitudo erat: neceſſe fuit diviſis late agminibus incedere, ne ii, qui præcederent, cibaria poſt venientium & ſtramina abſumerent. Hinc factum, ut unus ex ductoribus pervenerit in locum nomine Palæſtram, alter ad flumen Thanais, ubi eſt Boſagaz, q od ſignificat lignum cinericium. Diſtantia autem locorum iſtorum unius nempe ab altero, millium erat centum & viginti, & inter hanc diſtantiam iter faciebat populus, tametſi non omnis una incederet.

Quatuor ante menſes, quam ad Thanaim veniſſent, approximare eos intelleximus. Uno autem menſe, antequam Dominus veniſſet, venire ad Thanaim præcurſores aliquot cœperunt, qui juvenes quinque aut ſex equites erant, ſinguli equum unum manu poſt ſe trahentes. Horum illi, qui in urbem venerunt, ad conſulem vocati erant, ubi comiter blandeque accepti ſunt, & oblata illis ſtudia ac officia omnia. Rogati autem, unde & cujus

potiſſimum rei cauſa venirent,juvenes ſe eſſe dicebant,qui animi cauſa exſpaciarentur, aliudque iiſdem nihil in os quicquam intrabat. Et ſtantes ita per unam alteramve horam,demum diſcedebant. Idem hoc quotidie fiebat, niſi quod ſemper erant aliqui,qui quotidie veniendo numerùm illorum augerent. Domini ipſius ad Tanaim adventus cum non longe abeſſet : quinque aut ſex integro dierum ſpacio venire eorum jam viginti jam quinquaginta cœpere armati,bono omnes in ordine incedentes,deinde & centuriæ eorum advenerant. Venit demum & ipſe dominus, & caſtra ab urbe Tanai metatus eſt,ſpacio tanto, quantum quis ejaculatione arcus emetiri poſſet. In Moſchea quadam antiqua (templum Maumetanum vulgo appellant) Conſul continuo cum adventum illius intellexiſſet de offerendis illi muneribus deliberat,novenamque illi unam,alteram matri, tertiam capitaneo exercitus Nauro mittit. Novena appellatur munus rerum novarum diverſarumque ut ſunt panni ex ſeta confecti, Scarlati reſque aliæ numero ad 9. quas quidem offerre Dominis pro munere loci illius

lius mos obtinuit. Voluit Conſul, ut is eſſem ego, qui una cum aliis munera Domino iſti offerrem. Fuit autem etiam ei allatus panis, vinum ex pomis, Boſa, quæ cereviſia eſt, & aliæ res ſive ſpecies ad novem uſque numero. Ubi ingreſſi Moſcheam ſumus, Dominum ſuper tapetes extenſum, & Nauro Capitaneo incubante reperimus: ille annorum erat viginti duorum: Naurus vero viginti quinque. Accedens autem ego cum illis qui munera ferebant, & terram & populum illi commendavi, atque in poteſtate ipſius eſſe dixi. Atque ille primo me humaniſſime alloquendo reſpondit: deinde ad me eundem converſus ridere incipit, & manus invicem unam cum altera collidens, in hæc prorumpit verba: Ecce qualis eſt terra iſta, ubi homines tres, tres duntaxat etiam oculos habent: & hoc propterea dicebat, quod animadvertiſſet Buranum lapicidam noſtrum interpretem Ioannem Græcum Conſulis miniſtrum, & eum qui vinum ex pomis confectum ferebat, unum tantum ſingulos oculum habere. Nos venia ab eodem impetrata, domum reverſi ſumus. Sed cum quibuſdam illud,

de quo jam dixi, minus rationabile probabileque videri poſſit: Præcurſores illi, quorum aliquando ad quatuor, decem, viginti, aut triginta per planicies illas ſimul iverunt, & tam longo à ſuis itineris intervallo, utpote decem, ſedecim, vel viginti etiam dierum diſtabant; cogitantibus apud ſemetipſos, unde vivere interdum & ſe ſuſtentare potuiſſent. His ego ſic reſpondeo: quod horum quilibet, qui à ſua cohorte ſejungitur, apud ſe habeat utrem ex pelle caprina confectum, farinæ ex milio molitæ plenum, & ejuſdem rariſſimo cum melle mixtæ. Habent & ligneam patinam, inquam, quando feræ illis deſunt (quarum in ſylvis regionis illius ſatis invenitur, & eas ipſi capere optime norunt, præſertim arcubus ad trajiciendas uſi) farinam illam conjiciunt, & ex eadem cum aqua permixta potionem certam faciunt, eaque paſcuntur. Ex his aliquando quidam à me rogatus, quid comedat tum cum in campis verſetur? me contra viciſſim rogavit, cur moriantur homines nihil comedentes, quaſi dicere vellet: Habeam ego duntaxat id, quo vitã meam leviter paſcam, de reliquo non ſum ſollicitus.

licitus. Vitam herbis & radicibus tranſigunt, & demum eo quo poſſunt, dum illis ſal non deſit: nam eodem carentium os puſtulas contrahit adeoque marceſcit: ut quidam eornm malo illo contracto moriantur, vel dyſſenteria etiam pereant. Verum eo, unde digreſſi ſumus, revertamur. Poſtquam hic Dominus diſceſſit, cœperunt tunc venire alii, qui animalia ducebant: & erant primo greges equorum ad ſexaginta, centum, ducentos, & plures etiam equos habentium, deinde hos camelorum & boum greges ſecuti ſunt: Denique venerunt greges pecudum & animalium minorum; duravitque res per ſex dierum ſpacium, ita ut die tota, quantum in omnes partes circumſpicere poteramus, nil niſi campum plenum hominum & animalium venientium diſcedentiumque videremus. Et hoc ita in fronte agminis erat: unde quis facile colligat, quam multo major numerus eorum in medio collocatus fuerit. Nos in muro ſtabamus, (urbis enim portæ clauſæ erant) & veſperi fuimus defatigati ſpectando. Et propter multitudinem harum gentium & pecudum, diameter campi

quem occupabant, erat inſtar paganeæ patentis millia centum & viginti. Hoc vocabulum Græcum eſt, quod, cum eſſem in Pelloponeſo, (vulgo Morea) apud locupletem quendam Dominum, qui ſecum duxerat centum ruſticos, pariter didici. Quilibet eorum clavam in manu gerebat, & ſtabant omnes in ordine, alter ab altero ad centum longe paſſus, identidemque terram hujuſcemodi clavis feriebant; verbum quoddam uſurpantes. ita ut cum feræ illud audirent, extra ſeſe è ſylvis ejicerent. Venatores aut qui pedeſtres vel equeſtres fuere, cum avibus & canibus in ea ſeſe ubi potiſſimum viſum fuit, loca conjiciebant: & quando jam tempus adeſſe videbant, projiciebant aves, & canes vinculis ſolutos, eo ubi opus fuit, currere ſinebant. Inter alia animalia quæ hic populus venabatur, erant etiam perdices, & aves quædam aliæ, quas nos gallinaceas appellamus: quæ caudam habent in ſtar gallinæ curtam, & collo ſtant erecto velut galli, alias tam magni ut pavones, quibus colore etiam omnino ſunt ſimiles, cauda tantum excepta. Hinc cum ad Tanaim monticulorum è terra factorum foſſa-

rumque

rumque ſatis reperiatur; ad decem fere millium ſpacium circumcirca, ubi olim urbs antiqua ſita fuit, major conſueto numerus ſeſe in monticulos illos ignotaſque valles abſcondit. Res erat ejuſmodi, ut circum muros urbis & intus in foſſis tot perdices eſſent & gallinaceæ, ut viderentur omnia illa loca cortes aliquot bonorum inquilinorum fuiſſe. Filii incolarum regionis illius, cum aliquot earum una capiebant: duas pro aſpro dabant, quorum apud nos unus obolorum octo pondus habet. Erat eo tempore in urbe Tanai Monachus quidam Thermo, ordinis S.Franciſci, qui ex duobus circulis uno grandi effecto, & defixo terræ palo, extra muros ad decem & viginti una vice capiebat: cumque eas aves venderet, tantum inde nummorum ſibi comparavit, ut puerum emeret Circaſium, quem appellavit pernicem, eumque Monachum fecit. Nocte etiam in domibus feneſtræ apertæ relinquebantur, candela aliqua ibidem collocata, ut aliquando ad domum ipſam uſque venirent cervi feræque aliæ adeo multæ, ut dici fere non poſſit quot fuerint numero: Sed hæ non ad Tanaim veniebant.

bant. Ex planitie quam populus ille occupaverat,colligi facile potuit, quanta ejuſdem multitudo eſſet,quæ profecto fuit ingens. Nam in loco quodam nomine *Boſagaz*, qui quadraginta urbe millibus diſtabat, & ego piſcinam meam ibi habebam, piſcatores dicebant,ſe hyeme piſcatos eſſe,&ſale condiviſſe multos piſces, quos Morone & *Caviari* vocant : & ibi tunc quoſdam ex illis adfuiſſe & ſuſtuliſſe omnes eos piſces, qui ſale conditi vel non conditi eſſent: omne etiam ſal & Caviares rapuiſſe: (quod quidem ita craſſum,ut illud Gievizę eſt) adeo quidem,ut (quod miraculi loco erat) ne minima amplius ſalis mica reperiri poſſet. Fregerunt & dolia, ceperuntque alia lignea vaſa,ut ſuos his carros reficerent. Præterea ruperunt tres exiguos molares lapides, qui illis erat ad ſalem molendum, ut exigua parte ferri potirentur, quæ in illarum medio infixa erat. Sed quud mihi factum eſt, idem & aliis accidit ubique omnibus : Item Joanni Valle, qui piſcinam habebat, & cum intellexiſſet venturum eo Dominum iſtum, curavit fodiendam magnam foſſam, & in eam triginta circiter vaſa

(ſive

(ſive fiſcos) Caviari plena deponenda: Deinde humo ſuperingeſta eam texit, ac ne quis id animadverteret, multum ligni uri juſſerat. Hanc cum illi foſſam inveniſſent: ne minimum quidquam ex piſcibus aut fiſcis ibi reliquerunt. In hoc populo innumerabiles ſunt carri, duarum rotarum, noſtris altiores, feltris partim coopertæ, partim pannis, quando ad eos pertinent, qui majoris ordinis aut dignitatis ſunt. Quidam horum carrorum domunculas ſuperextructas habent; quas illi hoc modo ædificare ſolent. Circulum accipiunt ligneum, cujus diameter ſeſqui alterius paſſus ſit: & ſuper hunc alios injiciunt circulos, in medio ſeſe invicem interſecantes. Inter hos deinde collocant ſtoreas ex arundinibus textas, quas aut feltris aut pannis juxta morem & conſuetudinem ſuam cooperiunt Et quando caſtra alicubi mutari volunt, deponunt caſas iſtas è carris, atque in iis habitant. Poſt duos dies, cum Dominus hic jam diſceſſiſſet, venerunt ad me quidam ex civibus, qui murum me conſcendere jubebant, dicentes, extra eſſe Tartarum quendam, qui mecum haberet quid loqueretur. Ivi ego & locutus

cutus cum illo ſum ; qui dicebat mihi, in proximo eſſe quendam *Edelmagkum* cognatum Domini, qui lubens (ſi ego ita vellem) urbem intraret, & hoſpes meus, ſeu, ut vocant, cognatus eſſet. Ego à Conſule, quoad mihi hæc facere liceret, petivi veniam, eademque ſimul impetrata, ad portam ivi, hominemque una cum tribus ſuis in urbem intromiſi : Nam portæ etiam tum adhuc clauſæ tenebantur: Duxi deinde in domum meam, & honorifice tractavi ſatis, vino præſertim, quod ei maximopere placebat. Et ſic paucis inter nos ſermonibus habitis, per duos apud me dies integros manſit. Ac cum jam diſcedere deberet, maxime cupere ſe dicebat, ſi una cum illo irem ego, ut qui recens frater Illius factus eram : me, quocunque vellem, cum illo ſecurum, & ab omni tutum periculo ire poſſe. Nihil autem ea de re mercatorum cuiquam dixit : quorum viciſſim nullus erat, qui id non maximopere admiraret. Atque dum eo ire conſtitui, duos mecum ex urbe Tartaros pedeſtres duxi. Equos deinde ego & ille ambo conſcendimus, & fere circa tertiam diei horam urbe diſceſſimus: ille autem

vehe-

vehementer erat ebrius, qui tam multum vini bibit, ut ſanguinem ejiceret. Et cum ego illum monuiſſem, ne adeo ſeſe ingurgitaret, geſticulari cœpit more ſimiæ, dicendo: Sinas quæſo ut bibam, ubi enim vinum magis reperiam? In glacié auté cum fluminis tranſeundi cauſa deſcenderemus, ego me eo ubi ſpiſſiſſimam animadverti nivem eſſe contuli. Ille vero fractus vino ac debilitatus, non alio quam quo equus eum ducebat, progrediebatur; & quidem in loca prorſus nive carentia, ubi equus ſeſe in pedibus continere non poterat, (equi enim eorum ferrea non habent) ſed cadebat aſſiduo: Ille vero loris eum cædebat (nam calcaria geſtare ibi moris non eſt.) Equus autem cadebat modo, modo ſurgebat, & durabat ea res fere quadrantem integrum unius horæ. Denique flumen tranſeundo ad alterum pervenimus ramum ſive partem, & eandem ipſam maximo cum labore & difficultate ſuperavimus. Cum autem defeſſus ipſe eſſet, multitudini ſeſe cuidam immiſcuit, quæ jam ibi caſtra poſuerat, eaque nocte nos hoſpitio excepti ſumns omnibus moleſtiis exerciti, ut credi par eſt. Mane ſequentis

diei

diei equitare rurſum cœpimus: verum non ea cum alacritate animi,ut præcedentibus diebus feceramus. Cumque jam alterum fluminis ramum ſuperaſſemus,per ſemitam illam, qua populus incedebat,& nos ivimus; cujus profecto multitudo in univerſum tanta fuit, quanta æſtivo tempore formicarum paſtum una egredientium eſſe ſolet. Per duos dies cum equitaremus, demum in locum eum, ubi Dominus erat, pervenimus: ibi maximus illi honor exhibitus eſt, & ſubminiſtrata omnia de his quæ haberi poterant, ut caro,panicum, lac,& id genus alia: ita ut nihil horum illi deeſſet, quæ ad vitæ alimoniam & ſuſtentationem neceſſario pertinebant.Sequenti die cum percupidus eſſem videndi equitatus,& in omni re diſpoſitionis hujus populi, res tantas tamque admirabiles vidi, ita ut omnino exiſtimem, (ſi de iiſdem ſcribendo ad vivum uſque omnia velut geſta fuere,recenſere velim,) integrum & maximum ſoli huic rei volumen non ſuffecturum. Venimus poſtea &eo, ubi tentorium Domini eſſe cognovimus : quem reperimus ſuper tapete ſedentem,& hunc circumcirca populos

populos innumerabiles, quorum illi qui negotii alicujus conficiendi cauſa acceſſerant, genibus flexis adorabant, arma à ſe procul ad unius jactum lapidis projicientes. Cum aliquo ex his loquebatur Dominus, & rogatum primo, quid fieri ſibi vellet, certo deinde manu dato indicio, ſurgere eundem jubebat. Conſurgens autem ille propius accedebat, & denuo iterum ad octo fere paſſus longe ab eodem in genua procumbens negotium ſuum exequebatur. Et hoc tam diu fiebat, donec nullus eſſet, qui expediendum aliquid haberet, populus dimiſſus eſt. Judicia in caſtris ibi diligentiſſime exercentur ad hunc modum. Si adverſarium quis habeat, à quo injuria ſit affectus, vel duo ſi ſe verbis invicem adorti ſunt, (non quidem ita velut hic à noſtrum plerisque fieri ſolet, ſed ſi vel minima ſit injuria) ambo illi, vel plures etiam, ſi adſunt, una abeunt, eo ubi maxime commodum videtur, & primum, quem interdum reperiunt (modo loci & conditionis ſuperioris ſciant eſſe hominem) compellant, dicentes: Domine, nobis ſatisfacias, lis enim inter nos exorta eſt. Tum hic, ſane ſit quicunque confi-

conſiſtere, & accuſationes illorum audire cogitur: Deinde parte utraque audita, ſententiam ſuam profert, nullo prorſus ejuſdem apographo relicto. Atque decreto illi nullus demum eſt, qui minimo etiam vel leviſſimo murmure contradicere audeat. Fit hoc judicium maximo mortalium concurſu, quos, ſententia dicta, judex acti negotii teſtes appellat; Cujuſmodi judiciis univerſus aſſiduo campus plenus eſt, & ſi quod inter illos in itinere diſſidium exortum, hoc idem obſervant, ut judicem ſibi quemcunque deligentes, eidem cauſæ ſuæ deciſionem committant. Vidi die quadam cum ibi eſſem patinam ligneam in terram abjectam, in qua, è terra eadem ſublata, panicum eſſe coctum reperi. Converſus ergo ad Tartarum quendam rogavi, quid hoc rei eſſet? Reſpondit ille; Relictam ibi eſſe patinam illam propter *Hibuch Peres*, qui idiomate eorum idolatrę appellantur. Quærenti autem porro, qui ibi eſſe poſſint Idolatræ? retulit his verbis: Satis eſſe Idolatrarum, ſed eos occultos tamen eſſe. A multitudine populi incipiam, & dicam duntaxat juxta arbitratum meum; tametſi alias nemo fuit,

qui

qui numerare eum potuiſſet: nihilominus rem ita exponere placet; prout mihi ſe habere viſa eſt. Credo firmiter, ad *trecenta hominum millia* in exercitu illó fuiſſe, quando in aciem unam ſeu agmẽ coactus fuit. Et hæc dico propterea, quia pars major exercitus illius ad *Vlumahumetum*, ut dictum ſupra eſt, pertinebat. Homines illi adeo robuſti & fortes ſunt, ut quidam eorum per excellentiam appellentur *Tulubagator*, quod idem ſignificat, quaſi ſtultum robuſtum dicas. Illud vero vocabulum tanto apud eos vulgo habetur pretio, quale fortaſſe apud nos ſapientis aut pulchri haberi poſſit; unde evenit, ut Petrum hunc (certam aliquam volentes deſignare perſonam) ſapientem, & Paulum illum pulchrum vocemus. Iſti præeminentiam ejuſmodi habent, ut negotia omnia, quæ peraganda ſibi ſumunt, (tametſi aliquando ex parte rationi ipſi adverſentur) peracta quam optime eſſe dicantur. Nam cum iidem alias ſapientiſſimi habeantur: omnia deinde illa, quæ ſuarum erant partium & officii, quam diligentiſſime executi eſſe videntur. Hinc eorum reperiuntur multi, qui ſi ſint in prœlio, vitam viliſſimi

viliſſimi pendunt periculis non exterrentur,ſed in fronte ſemetipſos conſtituentes agminis,pericula quæq; audaci & intrepido animo ſubeunt : adeo quidẽ, ut inde leviſſimi etiam & timidiſſimi, audacia & viribus aſſumtis in fortiſſimos bellicoſiſſimoſq; evadãt. Videtur ita mihi omnium propriiſſime hoc cognomen additum illis fuiſſe: nullum enim adeo fortem ſum conſpicatus, qui non una etiam furioſus mihi viſus ſit. Nam per Deum immortalem, annon hæc inſania eſt,unum contra quatuor in pugnam ſolum deſcendere velle? nonne ſtultitiam quis merito eam dicat,ſi videat aliquem ad prœliandum gradum compoſuiſſe, qui cultellum ſaltem in manu habeat, contra alios plures, quorum ſinguli gladio & enſe utantur?

Nunc dicam aliquid, quod optime mihi quadrare huc viſum eſt : & aliquando ipſi mihi in urbe Tanai commoranti accidit. Die quadam cum in foro urbis hominum complures ſtarent;Tartari aliquot una venerunt, dicentes;In ſylva quadam, tribus ab urbe millibus diſtante, centum ſeſe equites *Circaſſos* abſcondiſſe: qui more & con-

ſuetudi-

ſuetudine priſtina excurſionem in agros vicoſque incolarum facere conſtituiſſent. Forte fortunam ſedebam ego in officina cujuſdam magiſtri ſagittarum, ubi tum etiam Tartarus quidam aderat, qui ſementem illi attulit. Hic cum rem intellexiſſet, continuo ſurrexit, rogitans alios, cur non ad capiendos Circaſſos illos proficiſcerentur. Demum etiam, quot illorum eſſent equites, rogabat: cum centum eſſe reſpondiſſent: Bene, inquit, eſt: noſtrum autem quinque ſunt, at veſtrum omnes quot equites efficient? Quadraginta, ajunt illi: Tum hic continuo fieri bene poſſe exclamat: Circaſſos non viros eſſe, ſed fœminas, adeoque facillime vinci & capi poſſe affirmans. Hæc cum audiviſſem ego, extemplo eo me contuli, ubi D. Franciſcum me putavi reperturum: cum quo rem totam, prout Tartarum eandem narrantem audivi, communicavi: Qui dictis aſſiduo ſubridens me rogavit, an una proficiſci eſſet animus? Huic reſpondi ego: Quod ita. Igitur eqoos ambo conſcendimus, & impetramus aliquot ex noſtris militibus, per fluvium ad nos tranſeant. Circa meridiem Circaſſos aggredimur,

quo-

quorum quidam æſtu & laſſitudine nimia confecti in umbra ſeſe reficiebant: quidam vero altiſſimo erant ſomno ſopiti. Factum autem ſingulari noſtro infortunio eſt, ut antequam eo perveniſſemus, ſignum tuba datum eſſet. Quamobrem multis ſonitu tubarum animadverſo, occaſio fugiendi conceſſa eſt: tametſi nihilominus illorum ad quadraginta necaſſemus, & captivos haberemus. Sed pugna inprimis inſtituta fuit ad placitum eorum, qui (ut ſupra dictum eſt) ſtulti robuſti appellantur. Voluit enim Tartarus ille, ut recta ad hoſtes capiendos proficiſceremur: qui poſteaquam ex noſtris nullum movere ſe ex acie vidiſſet, excurrit, aſſiduo nobis, ut reverteretur, clamantibus. Reverſus demum eſt poſt unius ſpacium horæ, lamentabundus vehementer & dolens, quod nullum ex hoſtibus fugientibus capere potuiſſet. Hic tamen nihilominus nos ob temeritatem eum reprehendentes, ludibrio habuit. Quæ hæc obſecro ſtultitia fuit? Certe ſi quatuor aut tres ex fugientibus reverſi fuiſſent, in minutiſſima eum fruſta diſſecuiſſent. Præcurſores illi (quorum ſupra facta eſt men-

mentio) quamprimum ad Tanais campos venerant, in octo ſeſe partes diviſerunt, itinere ſatis longo à campo ſe moventes: quod quidem propterea maxime faciebant, ut expiſcarentur ſi futurus quis eſſet, qui nocere alicui vel prœlium committere voluiſſet. Domino adventante Bazari ſubito adſiſtunt, & ſemitam utrinque per quam ingrediatur, relinquunt. Hyberno tempore tot pedes ſunt animalium, ut lutum maximum faciant: ęſtivo autem adeo etiam ſunt multi, ut ſpiſſiſſimum pulverem excitent. Mox atque Bazaros præmiſerunt, furnos ſibi extruunt, in quibus carnes deinde aſſant & elixant. Fercula ſua cum lacte, butyro & caſeo præparant, ferinam aſſiduo in promptu habent, inprimis vero cervinam. Inter illos multi etiam ſunt opifices, ut pannifices, fabri, bractearii, & id genus alii, quorum præſentiam uſus rei militaris requirit. Sed dicet fortaſſe quis, hoc pacto eos *Ciganorum* inſtar incedere. Minime dico ego. Nam (hoc tantum excepto, quod non muris cingantur) urbes alias ſpacioſiſſimas pulcherrimaſque condunt. Ad propoſitú ut accedam, aliquando cum in urbe

Tanai in loco quodam ſtarem, ubi pulcherrima & altiſſima turris exſtructa erat, eam Tartaro cuidam adſtanti tum mihi, oſtendi, rogavique an non res pulcherrima eſſe videretur. Converſus ad me ille, & ſubridens: *Qui ſibi metuit*, inquit, *turres extruat.* Et tum vere mihi locutus videbatur.

Sed mercatorum cum mentionem fecerim, ad narrationis ordinis reverſus dico: mercatores ibidem ſemper convenire, qui merces ſuas varias diverſaſque in regiones exportent, qui vel hac etiam cum conditione in aciem ſe collocari cum reliquis patiuntur, ut alio ſeſe poſtea, ubi libuerit, conferant.

Tartari illi boni etiam ſunt aucupes: *Girifalcorum* ſatis habent, & ad Camæleontes aucupantur, quorum apud nos uſus non eſt: animalia etiam & feras grandiores ſectantur. Geſtare autem in pugno aves ſolent, & manu altera furcam: & quando laſſitudine ſunt confecti, furcam ſub brachium ad onus geſtationis levandum reponunt: duæ enim avium illarum aquilæ. unius magnitudinem ſuperant. Interdum grex anſerum exercitum prætervolat: tum emit-

emittere quidam ſagittas ſolent digitum unum craſſas & abſque pennis contortas:quæ cum pauliſper provolarunt,ſe vertunt,& in obliquum diſtortæ eunt eo ubi collum, alas aut pedes cum cadunt, una perfringunt. Quandoque etiam tam multi anſeres prætervolant, ut aer his totus plenus eſſe videatur: mox propter nimium quem populus clamorem tollit,ita redduntur attoniti, ut in terram concidant.

Cum de avibus univerſis jam ſermo mihi ſit, rem narrabo quandam, quæ digna ſane obſervatu viſa eſt,ea ſic habet: Equitanti mihi per rivum fluminis cujuſdam, accidit ut hominem quendam conſpicerem,qui cum famulis ſuis loquebatur, & perſonam loci aut dignitatis alicujus referebat. Hic cum forte fortuna me tranſeuntem videret, ad ſe venire juſſit, rogavitque cujus expediendi cauſa negotii exiviſſem? Reſpondi ego, quod nempe illius quod neceſſitas vellet conficere. Verti deinde me, & vidi ibi poſitos quinque aut quatuor acornas, ſuper quos itidem poſiti erant cardueles aliquot. Juſſit autem herus ille ex famulis cuidam, ut aliquot ex illis tolleret, qui ablatos una

duos equo impoſuit,& laqueo facto in acornam illos intruſit, unumque ex his dedit Domino,qui coquere poſtea juſſit. Famulus ſubito veru ex ligno facto eum aſſavit, aſſatumque hero obtulit. Hic manu carduele prehenſo ad me converſus,eo jam,inquit, venimus,ubi honorem & humanitatem te tuiſque dignam meritis exhibere tibi poſſum: & ſic in tres partes carduele rupto, partem unam mihi, alteram ſibi, tertiam vero & eam quidem minutiſſimam, illi qui aſſaverat famulo appoſuit.

Quid jam de infinita animalium multitudine dicam? an vero omnibus res dignas fide narrare videbor? utut ſane eſt,& de illis tamen dicere aliquid conſtitui. Ab equis autem ordiar.

Mercatores in hoc exercitu equorum ſunt,qui ex armentis eos educant, & in varias abducunt regiones. Atque *Caravana* (ſic vulgo vocant hoſpitum & mercatorum una commeantium agmen) quæ in Perſiam aliquando venit, priuſquam ego inde diſcederem, quatuor millia equorum eo adduxit. Neque eſt quod hic quiſpiam mirari debeat; quia ſi una die mille vel duo etiam

etiam millia equorum velis emere, facile ibidem invenias: In greges enim coguntur velut pecora. Et ſi ad gregem ex his unum venias, venditorem duntaxat ea de re (te nimirum centum vel plures etiam emere equos velle) compelles. Hic clavam & laqueum in collo gerit, & tanta in re expedienda utitur celeritate, ut continuo cum hunc vel illum è grege equorum petis, laqueo collo ejuſdem injecto, eum ex ordine ſeorſim ab aliis ducat: atque hoc pacto quot eidem libet, facile tot capere equos poteſt. Incidi aliquando errans in mercatores iſtos, qui equorum tantam ducebant multitudinem, ut campus ab eadem fere totus fuerit coopertus; quæ res viſa eſt omnino admirabilis. Regio illa equos quidem multos, ſed non adeo egregios aut formoſos habet. Parvi enim ſunt, ventrem magnum habent: avenam non comedunt: & (quando in Perſiam adducuntur) laudaſſe eos ſe maxime venditores putant, ſi dicant avena paſci, alias enim quando non eadem paſcuntur, onera ad ſufficientiam impoſita geſtare non valent.

Secundum genus animalium, quæ

regio illa producit, *boves* ſunt maximi & pulcherrimi, tanto numero, ut ad omnia Italiæ totius macella explenda ſufficiant: & hi ea veniunt via, quæ è Polonia ducit,& armenta quædam per Walachiam & Tranſylvaniam inGermaniam uſque tranſeunt; unde poſtea in Italiam abiguntur. Geſtant iis in locis boves & onera,& clitellas, quoties uſus requirit.

Tertium apud eos genus animalium *cameli* duorum gibborum magni & villoſi, qui in Perſiam quoque ducuntur, & viginti quinque ibi unus aureis venditur.Nam illi,qui ex Orientalibus regionibus adducuntur, gibbum unicum tantum habent, & parvi ſunt, ideoque eorum unus aureis duntaxat decem venditur.

Quartum animalium genus *verveces* pinguiſſimi ſunt, qui genibus in altum erectis ſtant, pilis longiſſimi obſiti. Caudam etiam ejus magnitudinis habent, quæ pondo duodecim librarum ſit. Et tales vidi,qui rotam trahunt, ſuper quam reponunt caudam, ſi quis forte animi cauſa eos alliget. Ex pinguedine harum caudarum omnes ſuos cibos condiunt, quæ illis quidem loco

butyri

butyri eſt, non tamen in ore (ut butyrum alias) diffluit. Ipſe neſcio an quis fide bona narrare auſus ſit ea, quæ modo à me dicentur, etiamſi res ita ſeſe omnino habeat. Roget enim aliquis, unde vivat hic populus, ſi per diem aliquando totum iter facit: ubi avenam, qua equi reliquave animalia paſcantur, reperit.

Atque in eo hic cibariorum præparandorum fere mos eſt. Februario menſe per præconem in exercitu univerſo proclamatur, ut quilibet, is qui ſementem facere velit, prius omnes eas res, quæ ad ſationem pertinent, adornet: Siquidem menſe Martio ſatio in loco certo ſit proceſſura, & una, quod ad hunc vel illum menſem futuro ſeſe itineri accingere omnes debeant. Hoc facto illi qui opes ejuſmodi poſſident, ut vel ſerere ipſi poſſint, vel aliis idem pro ſe exequendi poteſtatem facere, neceſſaria ad id omnia parant, & certa aliquot ex his ſimul inita conditione, ſementes ſuas carris imponunt, & cum uxoribus, liberiſque (vel ſine his ſoli etiam) egreſſi; animalia ſecum eo ducunt, quibus inprimis ſe opus habituros exiſtimant. Demum in locum ſa-

tionis ſe conferunt (qui plerunque unius vel duorum etiam dierum itinerariis inde diſtat, ubi proclamationis tempore exercitus caſtra habuit) tum arant ibi, ſerunt, tamque remanent diu, donec omni peracta ſatione cum reliqua rurſum ſe multitudine conjungant.

Imperator idem eſt tunc erga exercitum, quod mater, quæ liberos ſuos ſpaciatum emittit, & aſſiduo eo ubi ambulant, oculos converſos habet. Hic ſerentes undique circumit, ab iiſdemque non prius diſcedit, quam quatuor aut quinque dies poſt, cum frumentum jam maturuiſſet.

Meſſis vero tempore, non totus eo exercitus deducitur: ſed duntaxat illi eunt, qui paulo ante ipſi ſeverunt, & illi etiam, qui emere frumentum volunt, carris, bobus, & camelis eo proficiſcuntur, vel illud etiam, quo opus habent, quod in villis ſuis alias facere conſueverunt. Agri valde apud eos fertiles ſunt: frumenti medimnos quinquaginta ex uno reddunt.

Nepos quidam fuit *Vlumahumethi*, qui cum per annos aliquot rei ſuæ privatæ publicæque præfuiſſet, & ſuſpe-
ctum

ctum haberet affinem quendam ſuum (qui verſus Ledile flumen degebat) quaſi populum illum invadere hoſtiliter vellet, quem ille ſationi præfeciſſet: quod quidem non ſine ingenti ſuo periculo & diſcrimine accidiſſet; per undecim integros annos ſationem ſubditis ſuis interdixit. Atque hi interim toto eo tempore carne ſeſe, lacte & rebus aliis, quæ haberi inter illos poterant, paſcebant: Nam farinæ tunc etiam reſidui aliquid & panici habebant, ſed ejuſdem admodum cari.

Rogante autem me, quid facturi demum eſſent, his vitæ deſtituti alimentis, ridebant illi, dicentes: *Se tamen carnis adhuc ſatis habere.* Nihilominus poſtea hic Dominus ab affine iſto, ſuo regno expulſus eſt. Denique & *Vlumahometus* (de quo ſupra dictum à nobis ſatis prolixe fuit) cum ad fines regni ſui obviam armata manu hoſti proceſſiſſet, animadvertiſſet etiam exercitum ſuum *Chezimamethi* copiis inferiorem, ideoque impetum earundem, ſi prælium ab utraque parte committatur, ſuſtinere omnino non poſſe, exercitu relicto ipſe una cum filiis aliiſque perpaucis profugit. *Chezimametus* nullo

prorſus adverſante Imperatorem ſeſe ac Principem populi totius tulit, atque ita ad flumen Tanais cum univerſo exercitu in menſe Junio venit. Poſt duos autem dies cum univerſa multitudine carris etiam & animalibus illis quæ ſecum habebat Tanais flumen transgreſſus eſt. Res ut auditu mirabilis, ſic longe viſu admirabilior ea viſa fuit; omnes enim abſque minimo ſtrepitu in ordine procedebant, ſecuri adeo, ac ſi iter terra facerent.

Ordo quem in itinere obſervant hic eſt: Illi qui potentia & opibus reliquos præcedunt, famulos ſuos præmittunt ad locum eum ubi habitare aliquandiu volunt, qui ingentes lignorum ſtrues comportant & amputant. Sylvas enim fluvio proximas multas ſatis habent. Faſciculos ex arundinibus conficiunt, quos lignorum ratibus illis & carris imponunt, & ad hunc porro modum progrediuntur, adigendo equos ut trabes illas & carros trahant, qui ab hominibus quibuſdam nudis juvantur. Poſt menſem unum ego, qui navigio per fluvium ad piſcinam meam viſendam ibam, in tot faſces & rates incidi, quæ ſecunda jam vice venerant, (& relictæ prius

prius ab iſtis erant) ut vix per eaſdem penetrans admodum difficulter cœptum iter meum continuare poſſem. Vidi ultra hoc etiam per rivos ubique tot lignorum fluitantes rates, adeo ut eorum infinita multitudo in maximum me ſtuporem & admirationem adduxerit. Ad piſcinam autem cum perveniſſem, reperi & in locis circa vicinis plus multo illas damni intuliſſe quam eas quarum ſupra mentionem fecimus.

Eo tempore (ne hic amicorum obliviſcar) *Edelmughus* Imperatoris cognatus fluvium cum transfretaſſet, reverſus eſt. Venit autem ad Tanaim & una cum eodem filiorum ſuorum unus. Tum comiter amplexatus me ille ſic alloquitur: *Filium hunc adduxi tibi, quem tuum eſſe volo*. Et ſubito deinde detracto è corpore filii thorace quem habebat induit eundem mihi & una octo mancipia ruſtica donat, hanc partem eſſe prædæ dicens, quam in Roſſia accepiſſet. Manſit vero apud me per duos fere dies, & munera contra à me ſatis ampla accepit.

Sunt aliqui, qui cum à reliquis ſe diſgregant, eo animo, quaſi non am-

plius ad eoſdem reverſuri, facillime hoc pacto amicorum obliviſcuntur, dicentes non magis ſe invicem viſuros eſſe. Unde evenit, ut ſæpius iis quibus merito debebant, ceremoniis non utantur. Hi profecto quantum ego doctus experientia judicare poſſum, hac in parte ſe haud integros bonoſque gerunt, ſiquidem dici proverbio ſolet: Montem non monti, ſed hominibus homines obviari ſæpius & occurrere. Accidit mihi in reditu ex Perſia, ut cum legato Aſſambeii iter per Tartariam facere inſtituerem, & inde per Poloniam Venetias reverti (quamvis ab eo itinere averſus fuerim) unaque nobiſcum ibant complures Tartari. Rogavi iſtum Edelmugh, qui talia indicia mihi dedit effigiei ſuæ, ut tam ex nomine quam ex effigie & ſignis ejus agnoſcerem eum ipſum eſſe quem mihi pater pro filio propoſuerat. Et, ut Tartari illi dicebant, magna is apud Imperatorem in gratia & autoritate fuit: ita ut ulterius progreſſi fuiſſemus, haud dubie in manus ejuſdem incidiſſemus. Et de hoc etiam certiſſimus ſum, quod cum eo quoque optime conveniſſem, velut cum patre olim.

Quis

Quis exiſtimaſſet autem poſt quinque & triginta annos in tanta locorum & regionum diſtantia Tartarum cum Veneto conventurum? Adjungam & hoc, quod tametſi non ea tempeſtate accidit, ad propoſitum tamen prioris meæ orationis quadrat.

Anno cIↃ. CCCC. LV. cum in taberna eſſem negociatoris cujuſdam vini in Rivo alto, diſcurrendo paſſim per tabernam, vidi pone quædam dolia, in capite dictæ tabernæ, duos homines in compedibus, quos ex figura oris Tartaros cognovi. Percunctanti autem quinam eſſent, Reſpondebatur; Servos *Catelanorum* fuiſſe: qui cum navi oneraria fugerent, in mari à mercatore illo capti ſint.

Audito hoc, ſubito ad Dominos profectus ſum, & querimoniam apud eos ea de re graviſſimam habui. Hi continuo procuratorum ſuorum aliquot eo miſerunt, qui in priſtinum eos libertatis & officii gradum reducerent. Illi igitur in præſentia Tartaros illos liberaverunt, & una mercatorem iſtum condemnaverunt. Exolvi juſſi Tartaros & domum mecum deduxi.

Deinde iidem rogati à me, unde & ex

ex quibus regionibus eſſent? Unus ex illis ſe *Tanai* patria eſſe & ſervum fuiſſe *Chazadabuchi* dicebat. Eum mox cognovi ego Imperatoris ſcripturarium, qui vectigalia ex mercibus colligere ſolebat, iis quæ ad Tanais portum appuliſſent. Cœpi ergo hominis faciem conſiderare, qui ſæpius alias domi meæ fuit. Quæro poſtea ex eo quod ei nomen ſit; Reſpondit, *Chebechzi*, quem latino idiomate *furfurarium* vel *aberratorem* dicas. Intuitus eundem paulo melius rogito, an me noſſet: Primo negavit. Verum ſimul ac nominavi Tanaim *Iuſuph*; inquit, Es: (ſic enim ibi me nominarunt) confeſtimque ad pedes meos ſe projecit, & oſculari eos voluit, confeſſus ſimul quod bis ſibi vitam ſervaſſem. Primo enim, ait, cum mancipatus eſſem, non vivum me ſed mortuum exiſtimabam, cui tu eo tempore & vitam & libertatem reſtituiſti.

Deinde quo urbs Tanais conflagravit, quo etiam foramen in mœnibus factum, per quot tot emiſiſti mortales, quorum in numero ego & Dominus meus eramus. Atque hoc veriſſimum eſt, quia cum incendium exortum viderem, foramen in muro feci, ex adverſo

verſo autem ſolum vacuum erat, ubi multi mortales conſpiciebantur: & per hoc extracti fuere ad quadraginta homines, & inter hos etiam hic & Chazadabuch. Retinui ambos domi meæ per duos fere menſes, & cum navigio Tanai diſcederem, domum utrumque remiſſi.

Igitur amplius nullus amicorum obliviſci debet ea ratione, quaſi non magis loca illa ubi iidem verſantur, viſurus ſit. Vel ſextenta enim accidere poſſunt ob quæ invicem conveniant: & hic fortaſſis qui plus poteſt opus habebit eo qui minus poteſt. Ad res Tanais reverſus, percurram pauliſper Septentrionis & occaſus regiones, transeundo ſinum maris Caſpii: Inde ad ſiniſtram declinans ad magnum mare me conferam uſque ad provinciam Mengleriam dictam. Poſtquam Tanai diſceſſi, terra in littore iter faciendo, tertia die regionem quandam inveni *Chremuch*, Dominus ejuſdem appellatur *Biberdi*, quod *Diodatum* alias ſignificat. Hic filius *Chertibii* erat, qui alio nomine *verus Dominus* dicitur. Pagos habet multos Juriſdictioni ſuæ ſubjectos, qui ad neceſſitatem duo equitum millia

millia efficiunt. Campos præterea, ſylvas & fluvios complures & pulcherrimos poſſidet. Primores terræ rapinis & excurſionibus victum ſibi quærunt: quod præcipue facere ſolent in ſpoliandis Carovannis,quæ paſſim loca illa tranſeunt. Equos habent egregios & generoſos : Ipſi homines ſi corporis conſtitutionem ſpectes, robuſtiſſimi ſunt & ingenio aſtutiſſimo. Frumenti in ea regione ſatis eſt, item carnis & mellis,vini ſecus. Poſt hanc *gentes* ſunt diverſarum linguarum, haud procul à ſe invicem diſtantes, ut *Elipke, Tarcoſia, Sobai, Chernerthei, As, Alanii*, quorum ſupra à nobis mentio facta eſt: Et hi *Mengleriam* totam duodecim ſpacio dierum pervadunt.

Mengleria ipſa vicina *Catackis*, qui ad Caſpium montem incolunt; Proxima etiam eſt Georgianiæ, & magno Mari, & ex parte una flumine *Phaſo* clauditur, quod ipſum eandem circumdans in magnum mare influit. Dominus provinciæ illius nomine *Bendian*, ad mare illud duo ſita propugnacula habet, dictum ex his alterum *Vathi*, alterum *Savaltopolis*, ultra quæ etiam plura caſtella & domunculas poſſidet. Ager

Ager per ſe totus ſaxoſus & ſterilis eſt. Genus frumenti præter panicum aliud non producit. Sal conductum illis Capha advehitur. Telarum aliquid conficiunt, ſed rudium & nullius precii, homineſque ſunt bruti & efferi. Argumentum rei hoc eſt.

Cum *Vathi* eſſem, quo Conſtantinopoli cum Impoparone ſeu navi Turcica conceſſeram, eo animo ut inde poſtea Tanaim me conferrem, in quendam Azolinum Squarciafigum Genuenſem incidi. Fœmina quædam erat, quæ erectis ſupra portam pedibus ſtabat, ad quam Genuenſis ille inquit: *Surina patro in cocon?* quod ſignificat: *Domi ne herum habes?* per id maritum ipſius intelligendo. Reſpondit illa: *Archiliminiſi*, quod ſignificat, *adfore præſto*. Diduxit autem ei labra: Et ea monſtrando mihi: *Ecce*, inquit, *quam pulchros hæc dentes habet*: Et ſic etiam ſinum monſtravit tractavitque mamillas. Ad quæ illa ne minimum quidem motus aut indignationis alicujus ſignum dedit. Intravimus demum ædes, ibique conſedimus. Alozin vero ille, (ut pruritum virilium demonſtraret) ſignum puellæ quærendi dedit: Venit

illa

citur, & per hunc colorem nummum Tartari argenteum, qui alias albus eſt, intelligunt. Græci etiam *aſpros* ſuos albos vocant: Turci *Aketan* habent, album nobis quoque, & *Zagathitengh* album item nominant. Venetiis ut olim ita nunc quoque numini cuduntur, qui dicuntur albi. Eadem & ratio monetæ Hiſpanienſis. Atque hinc facile quis colligat, quam multæ nationes ſimul hac in parte, videlicet in una ejuſdem rei appellatione concordent.

Ad Tanaim rediens per flumen illud ivi, quod, ut ſupra dictum eſt, Alanum ſpectat: Inde per Caſpium mare extra ad manum ſiniſtram incedendo *Capham* uſque perveni, ubi terram reperi anguſtam, quæ continentem Inſulam mari jungit, velut ea quæ in Morea ſeu Pelloponeſo eſt, & *Zuchala* appellatur.

Salinæ ibi maximæ reperiuntur, quę exhauriuntur ubi quis ad Inſulam illam pervenit. Prima ad mare Caſpium à Cumanis dicta *Cumania* eſt gens celebratiſſima. Inde eſt caput Inſulæ, ubi eſt *Capha*, ibi erat *Gazaria*, & uſque in hunc diem *Picus*, quo menſura ſumitur, id eſt, cubitus in Tanæ regione & vicinis

vicinis ubique appellatur, *Picus Gazariæ*. Ager inſulæ iſtius Caphæ Tartarorum in poſſeſſione eſt, qui Dominum habet vocabulo *Vlubi*, qui filius erat *Azicharoi*.

Numerus populi ſatis amplus eſt, qui cum urget neceſſitas, tria vel quatuor etiam equitum millia efficiunt.

Caſtella duo munita habent; Verum non adeo fortia: Alterum *Soragaſthi Incremin* lingua illorum dicitur, apud nos *fortitudinem* voces: alterum *Therchiade* eorundem idiomate, quadraginta loca ſignificat. Ad inſulam iſtam, & primum os maris Caſpii, locus quidam eſt *Chertz* dictus, qui Boſphorus Cimmerius nobis dicitur; dein *Capha* & *Saldaia, Graſin, Cymbalo, Sarſona* & *Calamita*: Omnia nunc Turcicæ juriſdictioni ſubjecta propugnacula, de quibus in præſentia nihil dicam, cum loca omnibus nota ſatis ſint.

Narrare dumtaxat Caphæ ereptionem placet, velut rem ex Genuenſe quodam Antonio de Guaſco intellexi, qui tum temporis ibi erat, & mari poſtea in Georgianam fugit, inde in Perſiam venit, ubi tunc me convenit: tametſi alias notum ſatis ſit, qua ratione promon-

promontorium iſtud in manus Turcicas pervenerit. Poſſederat ea tempeſtate agrum illum Tartarus quidam *Eminachbi*, huic Caphenſes ex more ac conſuetudine gentis annis ſingulis tributum certum pendebant.

Factum aliquando, ut *Eminachbi* & Caphenſibus inter ſe diſcordantibus, Conſul, qui eo tempore Genuenſis Italus erat, legatos ad Imperatorem mittere conſtituerat & vocare aliquem ex ſtirpe hujus Eminachbi, cujus favore velle videbatur Eminachbi imperio dejicere. Miſit autem ad Tanaim navim unam, & una legatum. Hic ubi eo venit, continuo in caſtra Imperatoris Tartarorum it, & ibidem unum ex ſtirpe Eminachbi reperit, quem ſecum una Capham ea lege duxit, ut rurſum poſt ſe remitteret, Caphenſibus conditiones illas recipere nolentibus. *Eminachbi* cum de facto ſuo dubitaret, Legatum ad Ottomannum miſit, cui per eundem (ſi claſſem ſuam eo mitteret) ſe terra præliaturum promiſit, Caphamque in poteſtatem ac manus ſuas traditurum. Ottomannus qui cupidiſſimus ſtatus ejuſmodi erat, claſſem eo miſit, qua brevi in tempore id confecit,

cit, ut terram illam imperio ſuo ſubjiceret, ubi & Menglierus captus fuit & ad Ottomannum miſſus, qui dein per annos complures eundem in cuſtodia habuit. Haud multo poſt Eminachbi (ob mala quæ cum Turcis commercia alebat) pœnitere cœpit, quod terram Ottomanno dediſſet. Quam ipſam ob cauſam omnem ad Inſulam aditum præcluſit iis, qui victualia & annonam eo vehebant.

Hinc factum ut acris frumenti & carnis penuria eſſet, adeo quidem ut parum tum ab obſidione ſtatus Caphenſium adfuerit. In mentem autem illi veniebat, ſi Capham *Menglierum* mitteret, ibidemque eum cuſtodia ampla muniret, fore ut priſtina annonæ fertilitas redeat, ſiquidem Mengliero huic vehementer exteri favebant. Ottomannus cum conditionem eſſe optimam exiſtimaret, Capham Menglierum miſit, qui quamprimum advenit, ingens rurſum annonæ fertilitas extitit; Nam & ab incolis impenſe amabatur. Atque adeo cum firma cuſtodia teneretur, ut non metus ullus evaſionis eſſet, & hinc per regionem etiam exſpaciari eidem liberum, quodam die certa-

certamen arcu jaculandi propoſitum eſt. Id ita in illis locis fit. Duo ſtipites humi defigunt, iiſque tranſverſum lignum ſupponunt inſtar patibuli. Inde tenui funiculo ſuſpendunt pateram argenteam. Illi qui jaculari poſſunt aut volunt, ſagittas ſuas habent, ſupra cum ferro mediæ inſtar lunæ fabricato, & equo cum arcu ſub funum iſtum currunt, & quando jam pauliſper proceſſerunt (directe equo procurrentes) ſe recta rurſum vertunt & ad funem iſtum jaculantur: denique hic qui pateram illam dejicit, victor certaminis proclamatur. Menglierus tam opportunam occaſionem nactus, arcu nimirum jaculandi, equites centum, cum quibus prius pactum inierat, in valle ſe abſcondere juſſit: Ea remotior paulo à loco illo, ubi certamen illud inſtituebatur, erat. Et cum ſimulaſſet, ſe quoque arcu jaculari velle, curſu apprehenſo & incitato ad ſuos profugit. Continuo atque hæc res intellecta eſt, præſidia inſulæ eum ſecuta ſunt, cum his conjunctus Menglierus *Surgaſthum* profectus eſt, urbem ſex à Capha millibus diſtantem, & capta ea trucidatoque Eminachbi, Dominum ſe pro-

provinciarum illarum omnium tulit. Anno ſequenti *Gitercanum* verſus ire conſtituit. Locus ille ſedecim à Capha millibus eſt, eum in poſſeſſione ſua habebat quidam *Mordaſſa Can*, qui tum temporis cum exercitu ſuo fluminis Ledilis ripam occupavit. Cum hoc conflixit Menglierus cepitque una cum toto exercitu, cujus majorem partem Capham miſit. Ipſe cum exercitu in hyberna ad flumen dictum contendit. Ea tempeſtate alius quidam Dominus Tartarus aliquot inde dierum itinerariis caſtra locavit, qui cum intellexiſſet in eo loco hybernari, flumine congelato ex improviſo Menglierum adortus eſt, & fugato eodem Mordaſſam liberavit, qui tum in vinculis captivus tenebatur.

Fractus victuſque *Menglierus* Capham cum reliquiis copiarum reverſus eſt. Sub primum Veris ſequentis initium, Mordaſſa forti cum exercitu, Capham, ad expugnandam Inſulam venit, & excurſionibus in eam aliquot factis cum ſubjugare ſibi non poſſet, ultro ipſe retro ceſſit.

Dictum autem mihi fuit propterea maxime diſceſſiſſe, ut exercitium denuo

nuo validiorem colligeret, eo animo, ut reverſus ad id loci, dejicere Menglierum dominatu poſſet. Et hoc quidem tametſi per ſe veriſimile ſatis ſit, tamen inſigni materiem mendacio præbet: ſiquidem illi qui ignorant, unde exercitus hi prodeant qui Ductores ejuſmodi habent, & neſciunt etiam quod diſcrimen inter Magnum Can & Mordaſſiam Can ſit: arbitrati Mordaſſam novos colligere exercitus, ut his inſulam adeat, perſuaderi ſibi patiuntur & dicunt: Magnum Can, via illa quæ Capha educit juſſu Ottomanni venire ea intentione, ut per ea Moncaſtri viam in Walachiam & Ungariam, ubi tunc Ottomannus erat, concedat. Ea res falſa omnino & ementita eſt, quantumvis literis Conſtantinopoli miſſis ſignificata. Poſt Capham inſulam circum ad mare Magnum *Gotthia* eſt, deinde *Alania*, quæ per inſulam verſus Moncaſtrum it, ut dictum à nobis ſuperius eſt. *Gotthi* Germanica lingua utuntur, quod inde ſcio, quia cum famulum haberem Germanum, una colloquebantur, & ſatis ſe invicem intelligebant: eo modo quo forte mutuo colloquentes Foriulienſis & Florentinus aliquis al-

ter alterius animi ſenſum aſſequitur, ac ſermonem percipit. Ab hac vicinia Gotthorum cum Alanis nomen *Gototelorum* derivatum eſt. *Alani* primo in locis iſtis erant. Supervenere *Gotthi* & regiones illas occuparunt,& mixturam ex ſuo Alanorumque nomine fecerunt : & ſicubi invicem permixtæ ſunt, exinde Gotitelani vocari cœperunt. Hi omnes ritu Græco vivunt, itemque Circaſſi. Et quia mentionem Thumeni & Gitercani fecimus, hic quoque res eas quæ in locis illis viſu ac memoria dignæ reperiuntur, ſilentio & oblivione præterire nolumus.

Tumeno verſus Orientem ſex dierum itinerariis procul diſtat *Ledile* flumen, ad hoc ſitum *Gitercanum* eſt oppidulum nunc fere demolitum ac deſtructum. Magnum olim illud & ingentis famæ erat. Prima enim navis quæ aromata ac ſericum in Aſſyriam vehebat, cum intercepta ac deſtructa à *Tamerlane* fuiſſet, reliquæ Gitercanum conceſſere,& hinc ad Tanaim,inde poſtea ſex aut ſeptem validas triremes Venetias ad tollendas & avehendas merces miſerunt. Atque eo tempore non Veneti ſolum ſed ne aliæ quidem gentes

mariti-

mar'timę in Aſſyria amplius negotiatę ſunt. *Ledile* flumen latiſſimũ & altiſſimum ingenti ſtrepitu ioCaſpium Mare influit, quod ipſum quinque & viginti millibus Gitthercano diſtat,& in eodem velut in mari,infiniti piſces capiuntur. Satis magna copia ſalis è mari fit. Per idem quis ex adverſo navigare in ſinuum Muſci poteſt, terram Ruſſorum in die, & quandoque Muſcenſes cum navigiis ſuis ad emendum ſalem Gittercanum eunt. In hoc flumine ſylvarum & Inſularum complures reperiuntur. Una earum ad triginta ſe paſſuum millia extendit. Sylvæ arbores producunt ejuſmodi, ex quibus dein conficiuntur ligna ad extruendas naviculas,quarum una octo vel decem equos, totidemque homines ſuſtineat. Cis flumen iſtud Septentrionem & Orientem verſus, in ea via quæ Moſcham ducit, in ripa porro quindecim illinc dierum itinerariis, populi *Tartari* innumerabiles paſſim ſparſi ſunt. Verum ad meridiem ſi in fines uſque Roſſorum devenias, provinciola quædam reperitur nomine *Riſan*. Hanc cognatus quidam Joannis Ruſſiæ Ducis poſſidet:incolæ Chriſtiani ſunt, &

ritibus ac ceremoniis Græcis dediti. Ager feraciſſimus frumenti eſt, carnis quoque & mellis, itemque rerum aliarum optimarum. Ibidem & *Boſa* fit, quæ cereviſia alias dicitur. Vicos & ſylvas ea regio habet complures, & cum paulo ultra proceſſeris, civitas *Colona* eſt, & præterea quædam aliæ: ambæ hæ lignis præcipue munitæ, ex quibus & ædificia reliqua extruuntur. Nam non multum lapidum iis in locis reperitur. Trſum illinc procul dierum itineribus Moſchia ipſa eſt, quam Johannes Ruſſorum Dux inhabitat, eam mediam nobiliſſimus fluviorum *Muſcus* tranſit, cui ſuper pontes aliquot extructi ſunt, & credo equidem ab illo flumine terram ipſam Moſchiam appellatam. Caſtellum ſupra collem poſitum, ſylvis undiſque circumdatur. Frumenti & carnis facilitas, quæ ibi ſumma eſt, hinc colligitur, quod carnes ad menſuram & pondus non vendunt, ſed emptoris ſaltem oculis ſubjiciunt, ut quatuor marcheto uno carnis libræ conſtent. Gallinas ſeptuaginta pro marcheto uno dant, anſerem pro tribus unum vendunt. Frigus ibidem adeo magnum eſt ut flumina etiam congelentur.

gelentur. Animalia etiam varia, ut porci, boves, circumferuntur, qui hyeme capti ac excoriati, duri adeo ut lapides ſunt, quorum vel ducentos, quis emere vice una poſſit. Scindi hi alio modo non poſſunt (nam duri ut marmor ſunt) niſi quis in hypocauſtum deferat ut calefiant. Fructus exceptis nucibus & pomis qui in foro venduntur alii non naſcuntur. Quando tranſire de loco in locum volunt (præſertim ſi profectio longa & prolixa ſit) in hyeme iter faciunt. Congelata enim tunc omnia ſunt, & ob id illi quidem progredi quam optime poſſunt, quamvis frigus noxæ aliquid & impedimenti afferat. Trahis ſecum vehunt omnia ea quæ volunt, & quidem in eo celerrime ſeſe expediunt. Trahæ apud eos in eo uſu ſunt, quo apud nos fortaſſe carri; & hi à latere & parte dextra Travali vocantur. Æſtate propter ſpiſſiſſimum pulverem, qui è ſylvis (quæ circum ubique infinitæ ſunt & maximæ, & earum major pars inhabitabilis eſt) prodit, exire longe non audent. Uvas nullas habent, ſed vinum ex melle quoddam conficiunt, itidemque cereviſiam ex milio, in quorum unum atque alte-

rum, flores bruſcandolos conjiciunt, qui fœtorem poſtea ejuſmodi emittunt, qui cerebrum obturbat & inſtar vini inebriat. Haud putarem ſilentio prætereundam eſſe ſingularem hic Ducis Johannis providentiam. Is cum toties adeo ſubditos ſuos inebriari animadverteret, & ob id ipſum labores ſuos reſque alias factu perutiles ac neceſſarias intermittere edictum promulgavit, quo ſeveriſſime ſanxit, Omnes in exilium eos pelli debere, qui cereviſiam aut vinum ex melle conficerent, vel floribus bruſcandolis uteretur. Eo edicto tantum profecit, ut ſubditos ſuos in vitæ melioris ſtatum reduceret:& quo ad hæc ſunt geſta, jam inde anni fere viginti quinque elapſi ſunt. Olim *Ruſſii* tributum Tartarorum Imperatori pendebant: nunc autem confœderatam terram habent nomine *Caſſan*, quam idiomate noſtro *ahenum* appelles. Ea ad flumen Ledile poſita ad ſiniſtram verſus & Bachium mare euntibus conſpicitur,& quinque dierum itinerariis Moſchia diſtat. Hæc terra negotiationibus plena eſt. Vis in ea & copia pellium maxima, eæ in Moſchiam, Poloniam, Pruſſiam & Belgi-

Belgicum tranſmittuntur, & ipſæ etiam ex parte demum in regiones Septentrionales *Zagathai* & Moxium deveniunt, quæ Septentrionales regiones Tartarorum Imperio parent, qui majori ex parte Idolatræ ſunt, ſicut & *Moxii.*

Sed quoniam ego rerum *Moſchiarum* peritiam aliquam habeo, de religione eorumque vitæ reliquo ſtatu, qui cognitus mihi, aliquid dicam. Certo anni tempore equum ſolent accipere, quem in medio ſui conſtituunt, & inde in omnes quatuor pedes ad quatuor recentes palos ligant, ſimiliter & caput terræ palo defixo. Hoc facto, venit aliquis ex illis qui arcu & ſagitta inſtructus & intervallo convenienti ab equo conſiſtens ad cor equi jaculatur adeo ut eundem occidat. Illo excoriato utrem reliqui ex pelle conficiunt: carnes inter ſe mutuo variis ceremoniis uſi partiuntur, & eam poſtea comedunt. His actis pellem totam implent ſtramine, atque ita conſuunt, ut integra eſſe videatur, & per ſingulos pedum lignum directe trajiciunt, ut in pedibus quaſi vivus conſiſtat. Demum ad arborem aliquam proceram omnes con-

gregantur,& ab ea ramos quot ſatis eſſe videntur demetunt, & ſupra tabulatum ædificant, in quo equum illum in pedes ſiſtunt, atque ſic eum adorant, Sibelinos, Armelinos, Doſſos, Vares, vulpes & id genus animalium alia illi offerentes, quæ arbori illi appendunt omnia, eo modo, quo nos offerre candelas ſolemus, adeo ut pleni aliquando pellium tales arbores ſint. Vulgus carne imprimis, miles ferina & piſcibus, qui in flumine illo capiuntur, veſcitur.

De Moxiis dictum à nobis jam ſatis prolixe eſt. De Tartaris nihil præterea, quam quod horum qui Idolatræ ſunt, ſtatuas adorent, & eas carris impoſitas circum ubique vehant, tametſi multi eorum ſint, qui in more hoc habent poſitum,ut illud inprimis animal adorent, in quod primum domo ſua egredientes incurrunt. Dux ſubjugatam habet *Norgroth*, quod in lingua noſtra novem caſtella vocamus. Ea provincia ampliſſima & latiſſima eſt, & à Moſchia Septentrionalem verſus plagam octo dierum integris itineribus diſtat. Initio à plebe,qui homines omni prorſus ratione carentes erant, & infinitos inter ſe hæreticos alebant, admini-

adminiſtrata eſt : nunc autem lente & ſucceſſive ad Catholicam converſi fidem : aliqui eorum credunt, ſecus aliqui faciunt ratione tamen utuntur, & inter ſemetipſos jus & judicia exercent.

Moſchea diſcedens ſi quis migrare in Poloniam velit, viginti duorum dierum iter conficiat neceſſum eſt. Primus locus qui in *Polonia* reperitur, caſtellum quoddam eſt vocabulo *Trochi*, quo accedere ii qui è Moſchea veniunt minime alias poſſunt, niſi per ſylvas & colles eo penetrent. Locus enim vacuus ac deſtructus eſt. Illic ambulando paſſim (ubi olim caſtra fuere) extructi ignis ſigna reperias, ubi conquieſcere viatores poſſunt, & interdum ſi velint focum extruere. Haud procul inde villa quædam eſt. In ea quæ Trocho via educit, non amplius ſylvæ ullæ aut colles ſunt, ſed una vici aliquot reperiuntur. Et novem ab eo loco dierum itinere caſtellum, quoddam ſitum nomine *Loniri*. Inde in *Lituaniam* devenitur, ubi provincia quædam eſt *Varſonith* dicta, quæ Dominis quibuſdam paret, qui ſubditi Caſimiri Polonorum Regis ſunt. Regio ipſa

fertilis eſt, caſtella vicoſque complures habet, verum non adeo celebres. Trocho in Poloniam commeantes ſeptem dierum iter conficiunt. Ea regio ſplendida & pulcherrima eſt. Merſaga civitas Poloniam claudit. De caſtellis & regionibus (cum minus eas probe cognitas habuerim) nihil ultra dicam. Accedit eo & hoc, quod Rex ipſe cum familia univerſa Chriſtianiſſimus & filius ejuſdem natu major Bojemiæ nunc item Rex eſt. Polonia cum diſceſſiſſemus, quatuor dierum itinere *Francofurtum* ppulimus, urbem Marchionis Brandeburgici Juriſdictioni ſubjectam. Atque ita intravimus Germaniam, de qua dicere jam nihil volo, cum nobiliſſima per ſe ſit, & à multis paſſim ſtudioſe perluſtrata.

Reſtat ut de *Georgiana* aliquid proferam, quæ ex adverſo regionibus illis oppoſita, de quibus modo diximus, vicinaque Mengleriæ eſt. Rex provinciæ illius appellatur *Pancratius*, agrum poſſidet pulcherrimum frumenti, carnis, vini, fructuumve reliquorum feraciſſimum. Vinum ibi in arboribus velut Trapezuntiæ naſcitur. Homines ſtatura pulchri ſunt & proceri: ſed veſtes

ſtes ſordidas moreſque viliſſimos habent. Tonſi raſique caput incedunt, quamvis circumcirca capillos aliquot inraſos relinquant, ad ſimilitudinem Abbatum noſtrorum: qui reditus amplos poſſident: myſtaces etiam geſtant, quos creſcere barba cubito & quadrante longiores ſinunt. Caput mitrula verſicolori contegunt, cujus in cacumine appenſa criſta eſt. In dorſo item jubas ſatis longas, ſed ſtrictas portant, & in tergo ad nates uſque criſtas: Nam alias equum conſcendere non poſſunt: qua in re minime eos quidem vitupero, quia & Gallos uti iiſdem animadverti. In pedibus ocreas gerunt, quæ ſoleas ad hunc modum factas habent, ut quando erecti ſtant, planta & calcaneo terram attingant, verum in medio tam alte è terra prominent, ut pugnum quis ſub plantam abſque detrimento injicere poſſit; Et hinc evenit, ut quando pedes eunt graviter moleſteque incedant. Eos hac in parte vituperandos eſſe cenſerem, ſi neſcirem & Perſianos iiſdem calceamentis uti. Circa epulas (velut idipſum in domo primarii cujuſdam viri vidi) hos fere ritus obſervant. Tabulas quadratas habent, medii

cubiti latitudine, auro in circuitu excavatas. In medium unius copiam quandam panici collocant, cocti abſque ſale aut ulla alia pinguedine, & hoc apud eoſdem leguminis loco habetur. In altera ejuſmodi tabula carnem ſuillam peruſtam & paulum admodum aſſam, ita ut, quando comedebant, ſanguis adhuc ineſſet, & hanc tamen illi avide & voluptuoſe vorabant. Ego guſtare non potui, & ob id etiam panico duntaxat fui contentus. Vini abunde erat ſatis, quod quidem egregie propinando circumlatum fuit. Aliud cibi genus apud eos non eſt. In provincia illa montium ſylvarumque complures ſunt. Regio quædam eſt nomine *Ziſilis*, quam fluvius *Tigris* præterfluit; quę quidem fertilis ſatis, ſed inhabitata male eſt. Habet & caſtellum quoddam quod appellatur *Gori*, & in vicinia mari magno eſt. Et hæc ea ſunt quæ de meo ad Tanaim itinere, deque regionibus illis, una cum rebus cæteris memoria dignis narrare volui. Supereſt ut aliud quidpiam exorſus, partem jam ſecundam arripiam, & res iter meum Perſicum concernentes ſcribendo perſequar.

ITI-

ITINERARII JOSEPHI BARBARI

PARS SECUNDA.

CUm circa annum 1471. Illuſtriſſ. Venetorum Reſpubl. bellum cum Turcis gereret, legati munus ab eadem ad *Aſambeum* Perſiæ regem mihi demandatum fuit, quod fides erga Rempub. & ſtudium meum atque dexteritas in demulcendis Barbarorum animis & haud infelix cum illis converſatio jam cognita ubivis, & perſpecta eſſet. Miſerat Perſa jam antea legatum ad Venetos, adhortatuſque fuerat, ut bellum contra Turcas continuarent, ſe in id unice quoque intentum evigilare, omnibuſque copiis & regni viribus contra eos contendere. Hoc legato, itineris comite uſus, Venetiis duabus triremibus minoribus ſolvimus; nos ſequebantur aliæ duæ majores, machinis atque tormentis bellicis, & quicquid ad horum uſum pertinet, inſtructis, iis quoque vehebantur milites qui machinarum uſum Perſis demonſtrarent, munera quoque à Veneta Repub. horum

rum regi miſſa. In mandatis acceperam,ut Pamphyliæ atque Ciliciæ (hodie Caramania dicitur) oram legerem maritimam,& Aſambeo ſi adeſſet, vel ipſius delegatis,omnia illa muneraReipub.nomine offerrem atque donarem.

Plurimum erant bombardæ diverſarum formarum & magnitudinis. Pulveris nitrati magna copia, & ferramenta & plauſtrorum apparatus, ad machinas illas accommodatus, quæ omnia ducatorum M. IV. conſtabant.

Milites erant arcularii, atque bombardarii circiter ducenti,quatuor præfectis ſubjecti, inter quos Thomas Imolenſis imperium habebat. Iſque alios eo adſciverat ad imperium hoc non ineptos.

Munera vero pocula & vaſa erant argentea, quorum pretium prope M. III. ducatorum fuit, tamen veſtes Attalicæ & Sericæ ducatorum M. IID.

Panni rubri & aliorum colorum ex lana confecti ducatorum M. III. Cypri regem Famaguſtæ cum Pontificis & regis Ferdinandi legatis ſalutavimus, ibi qua via in Perſiam pervenire liceret, num per Caramaniam tutum iter foret, diligenter inquiſivi. hanc vero undi-

undique ab hoſtibus ebſeſſam eſſe, fama tunc conſtans ferebat. *Famaguſtæ* igitur invitus aliquantulum ſubſtiti, attamen continuo ſuſcepti itineris perſequendi deſiderio flagrans cum legato Caramaniæ principis, quem in Cypro offenderam, reliquis legatis in inſula relictis, minori quadam triremi vectus, ad ipſam Caramaniam portum quendam ingreſſus, cui caſtrum imminet *Sigi* nomine. Ejus loci dominus nobiſcum in colloquium venit. Is licet omnibus rebus aliis & poſſeſſionibus à Turcis privatus & ſpoliatus fuerat, aliquot tamen centena equitum habebat & peditum, qui ipſum ſequebantur. Quos etiam hinc inde errantes prædatum emittere ſolebat. Unus è fratribus ipſius ad Aſambeum profectus fuerat, opem ipſius imploraturus auxiliumque contra Turcas petiturus. Cumque familiarius colloqueremur, inter alia retulit ſe diu noſtrum expectaſſe adventum, & literas Aſambei edebat nobiſque monſtrabat, quibus præſenti animo jubebatur eſſe, futurum ut brevi claſſis Veneta ad ea loca permearet, cujus auxilio & poſſeſſiones cæteras & inprimis loca maritima recupe-

recuperare poſſet. Cum igitur certo cognoſcerem magno deſiderio claſſem in his oris expectari, eamque huc adducendas eſſe naves quæ Famaguſtæ permanſerant, appropinquare juſſi: Interim certior fio Imperatorem claſſis Petrum Macenicum, ejuſque præfectum (quem Proveditorem vocant) Victorem Sorantium, & Stephanum Malipetrum cum aliis ducibus, Corycum, Ciliciæ oppidum, quod arce munitum egregia, vulgo Curcho dictum, appuliſſe. Miſi continuo Auguſtinum Contarenum, ut quæ mea de bello gerenda eſſet ſententia, iis ſignificaret. Inprimis vero mihi videri, ut priuſquam alia ſuſcipiatur expeditio, *Sigiam* claſſis deducatur, me quoque ibi ſubſtitiſſe, & victoriam facilem futuram apparere: quod ſi vero aliud ei videatur magis neceſſarium paratum me ipſius judicio parere. Sigi autem non amplius 20. milliaribus Italicis Coryco diſtabat. hoc oppidum jam obſidere imperator machiniſque oppugnare cœperat, ubi vero quæ mea eſſet ſententia cognovit, Sigiam ad me cum claſſe univerſa pervenit. Hæc 56. triremibus Reip. Venetæ conſtabant, ego

ego 2. minores, totidemque majores habebam. Aderant quoque Ferdinandi triremes 16. Regis Cypri 5. Rhodenſium equitum, 2. aliæ 16. à Pontifice miſſæ. Mutinæ (quæ Madone dicitur) ſubſtiterant, Venetæ triremes ſingulæ, 5. tamen exceptis, 8. equos eorumque ſeſſores vehebant. Namque equitatus noſter 440. equis conſtabat, quos ubi in portum fuimus delati, cum parteque copiarum pedeſtrium in terram expoſuimus iique ad excurſiones ſtatim ſeſe accinxerunt, poſtero die Imperator renuntiat, videri ſibi hanc arcem inprimis validam & mari apprime munitam, nec abſque maxima difficultate, quod ſuper monti jaceret, vi capi poſſe, meum ea de re cognoſcere judicium cupiebat. Fatebar quæ ille de loci munitione dixerat, hoc tamen nobis commode cedere aſſerebam, quod ultra 25. milites in eo non reperirentur, qui ad defenſionem apti eſſent ad locum illum & territorium vicinum ad 20. uſque lapidem tuendum relicti. Ex horum paucitate victoriæ facilitatem conjecturabam. Sed imperator perplexus & quid ageret incertus, aliquandiu nihil reſpondit, duabus autem horis

horis elapſis, Amiratum ſuum miſit, qui de oppugnatione futura me certiorem redderet, qua re cognita, ad *Themingam*, Caramaniæ principis ducem properavi, qui cognito quod oppugnatio decreta eſſet, haud parum mecum exhilaratus fuit. Poſtero die ſummo mane Theminga retulit, quendam ex arce ad ſe veniſſe, qui deditionem ejus offerat, ſi ſalvis & integris impedimentis præſidiariis tutus abitus & diſceſſus concedatur. Id Imperatori Macenico ſignificavi, qui conditionem hanc accipiens per Themingam præſidiariis incolumitatem & bonorum omnium conſervationem promitti jubebat, quod ſi alio migrare velint, paratos qui tuto eos deducant. His intellectis Theminga volebat, ut cum domino arcis ipſe colloquerer, cujus rei gratia ad portum acceſſi, cui contigua erat quadrata feneſtra, è qua cum domino arcis colloquendi facultas data eſt, paucis invicem commutatis verbis deditionem ſpopondit ſi fides ei ſervetur, & abitus concedatur liber bonaque illi ſalva omnia relinquantur. Quod ubi ſtipulanti repromiſi portas aperuit, meque cum Admiralio noſtroque

ſtroque interprete & tribus aliis claſſiariis intromiſit. Quæſivi quonam diſcedere vellet, ſe in Syriam proficiſci dixit, eo ut tutius cum uxore, liberis & opibus pervenire poſſet, triremi Veneta ſeſe deduci rogabat; annui, ipſeque ſtatim bona & facultates ſuas convaſare cœpit, partem jam antea ad abitum paraverat. Sic arce egreſſus cum omni comitatu qui circiter 150. hominibus conſtabat, cum per acclivia montium deſcenderet, ducem quendam Venetum, qui cum manu claſſiariorum ad occupandam arcem properabat, obviam habuit. horum militum ea fuit rabies & furor, ut poſthabito imperio militari nullis minis abſterreri potuerint, quin opes & ipſos homines in prædam raperent, quare omnes duces mire fuerunt contriſtati, ob rupta jurisjurandi fœdera tam auguſte ſancita. Ubi veſperi in claſſem redii, Imperator ſtatim me accerſivit, & quam acerbe ferret militum petulantiam, verbis gravibus expoſuit, ad Themnigam Caramaniæ principis præfectum tendere, & facinus militum inobedientia perpetratum excuſare quidve ipſi animus eſſe de eo raptu

ptu ſtatuere indicare juſſit. Hujus negotii expediundi cauſſa cum ad littus acceſſiſſem interpretem meum, aſinum præda onuſtum agentem reperi, ſubito aufferri prædam, & multis plagis eum caſtigari curavi, apud Themnigam quo ad potui commodiſſime ratptum excuſavi, futurum ut ſequenti die in authores ſceleris animadvertatur & in poſterum melior ordo in exercitum inſtituatur. Ille hilari vultu me excepit, unum ſibi dolere dixit, quod Sigiæ dominus ipſiuſque comites, qui à ſuo principe deſciviſſent, eo tumultu non fuerint interfecti. Senſi parum illum de Sigiano laborare, ſed reſpondi huic incolumitatem promiſſam fuiſſe, quæ neceſſario ipſi ſervanda ſit, non ſtudio vel data opera, ſed militum furore ſcelus hoc perpetratum, idque maximo cum dolore Imperatoris & omnium reliquorum Ducum eveniſſe. Imperator Victori Sorantio Præfecto claſſis, aliiſque delegatis negotium dat, captos & prædam oblatam recuperandi, ſequenti die edictum ſeverum, graviſſimęque pœnæ fuerunt promulgatæ, qui horum quicquam occultavit, jubebanturque omnes quicquid

quid rapuiſſent, in terram comportare, præterea inquiſitio arctiſſima, in omnibus triremibus ejus rei cauſſa inſtituta & habita fuit. Homines ad unum omnes reperti, & bonorum raptorum pars magna recuperata, ſelectæ fuerunt Sigiani facultates & Sorantii triremi impoſitæ, in quam ipſe quoque cum uxore & liberis deductus fuerat. Reliqua præda, quæ plebis fuerat, ad ducem, qui illis erat deſignatus, fuit delata, mandatumque, ut quilibet bona ſua auferret. Credebatur vulgo Sigianum maximas opes à parentibus relictas poſſediſſe quæ forſitan (in auro, argento, ſerico, margaritis & gemmis) ducatorum M. x. ſummam excedebant. hujus rei fidem fecit Cretenſis quidam; qui tum forte duos ſacculos abſtulerat, cum altero Rhodum abivit, ubi paulo poſt decumbens, cum morti vicinus eſſet, mandavit, ut Sigiano 800. ducati darentur in compenſationem prædæ, qua tunc temporis eum defraudarat. Hæc igitur hunc in modum geſta ſunt. Mox duo Sigiani fratres ad claſſem pervenerunt, eumque viſitarunt, rationibus & perſuaſionibus tantum apud ipſum effecere, ut in-

ter-

terram deſcendere & cum bonis omnibus apud ipſos commorari decreverit, ubi vero claſſis noſtra ex illis locis ſolvit, eundem occiderunt, alter vero defuncti uxorem matrimonio ſibi junxit. Corycum rediimus, & capibus è navibus deductis, machinæ ad oppugnationem fuerunt diſpoſitæ: Turcæ arcem defendebant, qui disjecto primo muro incolumitatem hominum & bonorum pacti, deditionem fecerunt. arx Caramanię principi, qui cum exercitu noſtris ſe conjunxerat, reſtituta fuit. Inde *Silephicam* diſceſſi, quibuſdam Caramani copiis comitatus: hæc celebris quondam urbs Seleucia dicta, à Turcis tenebatur. Præſidiariis nuntiavi, ut deditionem ſponte faciant, liberum & tutum abitum illis cum bonis omnibus conceſſum iri, quod ſi obſidionem expectare velint, futurum, ut nullus illorum periculum mortis evadat. Reſponderunt hinc ut diſcederem, ſe cras cum Caramanno acturos, quod & factum, nam per legatos deditionem & incolumitatem hominum & bonorum pacti ſunt, ceſſitque urbs Caramaniæ principi. His geſtis Imper. claſſis Venetæ Cyprum rediit,

diit, prope Famaguſtam in ſtatione permanens; ut adminiſtrationi hujus inſulæ præeſſet. Namque rex *Jacobus* non ita pridem, cum in Cilicia moraremur vita functus erat: cum quæ neceſſaria videbantur, diſpoſuiſſet, Ægeum mare repetiit: Sed in portu Famaguſtæ: (quæ Salamis quondam) cum tribus triremibus minoribus & duabus majoribus copiiſque à Veneta Rep. mihi deſignatis ſubſtiti. Appulerunt interim duæ triremes à Ferdin. rege miſſæ. his vehebatur Nicoſiæ Epiſc. regiſque legatus: qui defuncti regis filiam naturalem, in matrimonium pro Ferdinando petebat. His rebus intenti, nocte quadam maximo campanarũ ſonitu ad arma conclamarunt, Epiſc. cum ſuis ſequacibus in forum urbis deſcendit, urbemque occupavit: Inde Ceraun iam, quæ Cerines hodie, & fere univerſam inſulam in ſuam poteſtatem redegit. Intellexerat Venetorum Imp. duas naves (galeras) Neapoli cum Epiſc. Nicoſiano ſolviſſe, & ortum verſus curſum direxiſſe, ſuſpicatus quod res erat, in Cyprum illos tendere, Victorem Sorantium pręfectum, cum decem triremibus mi-

noribus

noribus eodem miſit;illuc delatus,poſt multa colloquia, cum Epiſc ejuſque aſſeclis habita, tandem obtinuit ut urbem & quæ occupaverat amplius, reſtitueret, indeque diſcederet, quod mox effectum fuit. Ferdinandi legatus Neapolim rediit. Pontificis vero Famaguſtæ permanſit. Aderat mihi continuo Aſambei legatus qui mecum eadem via domum redire cupiebat: Unam tantum triremem mediocrem ad iter inſtans curavi,ambas illas majores, quibus machinæ & munera, quorum ſupra memini vehebantur in Creta inſula ſubſiſtere juſſi: pars ibi permanſit, pars Venetias reducta:copias mihi adjunctas ad tuendam Cypri inſulam reliqui. Nos Corycum reverſi;hujus loci deſcriptionem apponere lubet Sita eſt *Coryci* urbs ad maris littus,verſus occaſum,rupes eſt eminens,tertiam partem milliarii in circuitu habens; quondam ibi caſtrũ erat, quod magnificũ & ſatis munitum fuiſſe,pars ejus quæ ſuperat, & ipſæ ruinæ declarabant, ad portas regias inſcriptiones videbantur pulcherrimorum characterum non abſimilium iis,quibus Armeni uti conſueverunt, ſed diſcrepabant tamen ab iis quibus

quibus nunc utuntur,ſiquidem Armenii qui me comitabantur eos dignoſcere nequibant. Caſtrum hoc deſtructum ab urbe Coryco, portum verſus, jaculatu arcus diſtat. pars urbis in ſaxo foſſa munito poſita:pars ad littus maris tendit ubi murus eſt fortiſſimus, etiam contra machinarum impetum munitus. Ipſum caſtrum alium collem & muros atque turres fortiſſimas habet, ejus ambitus duas tertias milliarii efficit. Leguntur ad duas ejus portas inſcriptiones quædam Armeniis litteris inſignitæ. Quælibet hujus caſtri pars propriam ciſternam habet, aqua dulci plenam, præter eas quatuor aliæ ſunt publicæ, in quibus tanta aquarum copia, ut cuivis magnæ urbi ſufficeret. Ubi portam, quæ orientem reſpicit egreſſus fueris in illa via non procul ab arce, Arcus marmorei, ex uno lapide cæſi (quorum pars magna concidit) viſuntur, eæ ruinæ ab utraque parte viæ ad quoddam uſque templum pertingunt, quod medio milliari diſtat, magnum & multis columnis aliiſque egregiis ædificiis ornatum quondam fuiſſe apparet. Loca circumvicina arci montuoſa & ſaxoſa ſunt, cujuſmodi

Iſtria noſtra habet,incolæ Caramaniæ principi parent. Terra fertilis eſt frumenti, Goſſypii,omniſque perfectiſſimorum fructuum generis : boum & equorum magnam copiam alit. Aëre temperato gaudet. hic tum temporis regionis ſtatus erat, nunc immutatum credimus ob crebras Turcarum irruptiones ac devaſtationes. Ad maris littus duo caſtra ſunt munitiſſima, quorum alterum Sigi in monte ſitum, ſupra à nobis deſcriptum fuit, alterum vero ad 6. milliaria ab hoc remotum marinis aquis alluitur ſatiſque munitum eſt.Corycum 10.milliaribus diſtat Seleucia vel Seleucha, ad eam plagam quæ Occidentem & Septentrionem reſpicit,fluvius urbem alluit,qui prope Corycum in mare ſe exonerat, magnitudine Medoaco noſtro ſimilis. Ad montem vicinum theatrum eſt cujus forma Veronenſe refert, egregiæ magnitudinis Orcheſtris & columnis unius lapidis condecoratum.Idem mons amplius aſcendendo arcuum & porticum rudera monſtrat, quidam ipſi monti inciſi,alii ſeparati, urbis mœnia in ſummitate montis poſita, portis ferreis abſque ullo ligno conſtructis.

clau-

clauduntur, turres habent ab utraque parte, 15.pedum altæ,7. vero latæ,eleganter ſunt elaboratæ tanquam ex argento eſſent. Murus terra duriſſima tegitur,quæ tamen firma hæret, ut per eam in mœnia aſcendi nequeat, hæc unum milliare in circuitu habent, terra vero adjacens tria complectitur. quo ſpatio Caſtrum Seleuciæ propugnaculis & turribus munitum cernitur. Uterque murus 30. paſſuum intervallo diſtinguitur. Caſtrum ſpatioſam cellam habet, in ipſa rupe concavatam, ibi ligna ad bellicos apparatus præparata aſſervabantur. Ciſterna ſemper aquæ copia abundat. Urbs hæc Armeniæ minori adſcribitur, quæ ad Taurum uſque montem ſeſe extendit, vulgo Corcheſtan dicitur. Hic aliquandiu quieſcere libuit, poſtea ad inſtitutum iter in Perſiam nos accinximus. Variæ patent viæ. Nos illam ſecuti, quæ mari eſt vicinior, Tharſum urbem egregiam appulimus. ea *Dulgadoro* paret, qui fratrem habuit *Seſſicarum* nomine. Regio vero Sultani imperio ſubjecta eſt, licet Armeniæ minoris pars ſit. Urbs 3. millia in circuitu continet, in eam pons lapideus per

fluvium, quo fere undiquaque cingitur, aditum præbet. Arcem habet amplam ex lapide egregie conſtructam, urbs in colle parum alto poſita. Inde unius diei itinere *Adena* eſt, ampliſſima urbs, quam æque fluvius alluit ſpatioſus, pontem lapideum 40. paſſuum habens arcubus diſtinctum. In hoc ponte ſpectaculum nobis ridiculum *Suffi* (quos peregrinos vocaremus) ediderunt, namque ſubito delirantium in modum ſaltare cœperunt, unus cantu præibat, Divina quædam & Mahumetis beatitudinem prædicans, ad cujus vocem vel lente vel celeriter prolatam reliqui ſaltationes ſuas accommodabant: vix per quadrantem horæ duraverant choreæ, cum nonnulli nimium ſaliendo fere exanimes in terram mortuis ſimiles conciderunt, quos incolæ qui frequentes aderant, in vicina domicilia deferebant. Hoc ſpectaculum in ipſo itinere ſæpius iterarunt, quaſi religione quadam ad id tenerentur. *Adena* & vicina regio goſſypino abundat, Sultano ſubjecta eſt, licet in Armenia minori ſita ſit. Multæ paſſim arces, oppidaque deſtructa ac devaſtata ad Euphratis uſque ripas cernuntur,

hunc

hunc fluvium nave Turcica, qua 16. Imperatoris equi vehebantur tranſivimus. Crebra ibi viſuntur antra atque cavernæ, quæ urgentibus tempeſtatibus, receptum peregrinantibus præbent. Ad alteram ripam Armeniorum pagi ſunt,ubi pernoctavimus:ſuperato fluvio proxima urbs ſeſe obtulit *Orpha* nomine, quam Edeſſam quondam vocatam volunt, Aſanibeo paret, à Valibecho ejus fratre adminiſtratur. Non ita pridem inprimis floruit, ſed deſtructa majori ex parte à Turcis fiet, cum Aſambeus Bithia, quæ *Bir* dicitur,obſidione diſtineretur, præfectus, qui ob diruta propugnacula arcis &urbis non abſque periculo & timore ibi vivit: conſpectis literis humaniter me excepit. Inde ad radices montium delati, *Merdinam* urbem pervenimus, ad quam aditus per ſcalas patet,cujus gradus lapidi inciſi magnitudine pedum IV. per milliare Italicum ſeſe extendunt. In ſummitate porta eſt, qua per longam plateam in urbem itur, mons undique fontibus aquæ dulcis eſt irriguus, in ipſa urbe alius eſt mons circumciſus arcis firmiſſime vicem gerit: in quem ſimiliter per ſcalas & gra-

dus aditus patet, ædium parietes pro muro ſunt, non deeſt incolarum frequentia,ſericum & goſſypium magna copia paratur. Turcæ ut hujus urbis, quæ Aſambeo paret, altitudinem prædicent, affirmant, nunquam avem volare ſuper eam cerni. In hoſpitio quodam diverti, quod *Ziangirbeius* Aſambei frater ædificavit,qui ibidem hoſpitantur, gratis cibus ſubminiſtratur iis, qui tamen digni videntur; urbem Aſamheph nomine attigimus, ſed prius ad dextram frequenter ſpecus & antra in parvo quodam monte excavata, & habitationi hominum deſtinata viſuntur,ad ſiniſtram mons eſt,cui urbs impoſita, ad cujus radices æque, ut in priori illo, ſpeluncæ ſunt, incolarum frequentia & altitudine viarum, quæ hinc inde per montem ducunt. Urbs hæc non incelebre eſt mercatorum emporium, qui ut plurimum goſſypio negotiantur, milliare unum & medium cum ſuburbio in circuitu complectitur, in hac multa egregia ædificia & nonnullæ Moſcheæ reperiuntur. Fluvius profundus, & lacus præterfluit, qui pontem è ligno ſtructum habet. hoc monte ſuperato, iter per

per planiciem collibus mediocribus diſtinctam patet, inde duorum dierum itinere, verſus orientem eundo, urbem *Sair* in conſpectu habuimus, quæ triangulari forma conſtructa, ab uno latere arce multis turribus munita, defenditur, tria milliaria complectitur, quondam floruiſſe etiam nunc apparet, magna ibi incolarum copia pulchraque ædificia & templa, nulli fontes perennes, duo veloces & magni fluvii tranſeundi ſunt, alter *Bettalis* alter *Iſan* vocatur, uterque pontem habet lapideum, ex uno arcu conſtructum, ſub quibus facile lintres erecto malo penetrare poſſent. Huc uſque *Armenia* minor ſeſe extendit, nec alti montes, nec denſæ ſylvæ, nec domicilia, præter conſuetum morem ædificata, videntur. Pagi crebriores undique, ex agricultura incolæ vivunt ut noſtri ruſtici, frumenti, fructuum, goſſypii, equorum & boum copia abundant. Nunc regiones quæ *Tauro* monti ſubjacent nobis intrandę erant, hic mons à ponto Euxino prope Trapezuntem exoritur & verſus orientem ſeſe extendens ad ſinum Perſicum terminatur, in primo ingreſſu altiſſimi &

aſperrimi montes ſunt, cujus incolæ, *Curdi* dicti, plane diverſo à vicinis utuntur: crudeliſſimi ſunt & unica latrocinii laude clari. Caſtra hinc inde rupibus impoſita incolunt, è quibus diligentiſſime peregrinantes ſpeculantur, quorum vix quiſquam manus eorum effugit, quin ſpolietur. Ejus rei ipſe teſtimonium ferre poſſum. Namque 4 Aprilis die, anni 1474. cum ex urbe *Cheſan* (cujus dominus Aſambeo comiter paret) mane digreſſi eſſemus, & vix medii diei iter confeciſſemus, in præcipiti quodam monte impetum Cordi illi in nos fecerunt, quo legatus Aſambei, qui me comitabatur, & Cancellarius meus, duoque alii occiſi, ego & reliqui noſtri ſocii graviter vulnerati fuimus: ſed tamen equo non eram turbatus, commodius fugam ſolus arripui, poſtea vero omnes ſocii itineris ſuperſtites convenimus, duce itineris (quem Califfo vocant) uſi tertia die in urbem *Vaſtan* delati; hæc devaſtata eſt & male culta, ultra 300. focos non habet. Inde bidui itinere diſtat *Choy*, non minus quam ſuperior ruinata, 400. ædes habet incolæ mœchanicas artes & agriculturam exercent. Cum circa ulti-

ultimas Tauri partes hærerem, à reliquis ſociis & duce itineris (ſeu Califfo) ſecedere conſtitui. aſſumpto igitur quodam ipſius ſocio, qui viam monſtraret, tertia die *Taurin* ſeu Ecbatanam attigi: In via in Turcimannos & Cordos forte incidimus, qui, *quo pergeremus?* ſciſcitabantur. Reſpondi ad Aſambeum me tendere, atque literas ad eum deferre; has illi inſpicere volebant, quod cum fieri poſſe negarem, quidam alapam mihi inflixit graviſſimam; nec interpres meus immunis fuit à verberibus, & fere omnes duriter ab illis fuimus tractati. Taurim ſeu Ecbatanam cum perveniſſemus, in hoſpitio (quod Cavoſtra vocant) divertimus, *Aſambeum* de adventu meo certiorem feci, qui ſequenti die mane in aulam me accerſivit, ſane miſere eram indutus, & cuncta mea veſtimenta vix unum atque alterum ducatum valebant. Gratus Regi fuit adventus meus, benigneque me excepit, jam ſe certiorem redditum dicebat de morte legati ſui duorumque reliquorum, atque latrocinio quod fueram perpeſſus: daturum ſe operam ſpondebat, ut de damno illato omnibus abun-

de ſatisfiat. Obtuli literas publicas, quas ſemper in thorace reconditas habueram. Juſſus fui eas legere, quod alius non eſſet, qui eas intelligeret. Interpres earum ſenſum Regi exponebat, quo intellecto, dixit conſiliario quodam ſuo, ut ordine recitarem ſingula, quæ amiſeram, conſignataque illi traderem, & ſi quid aliud vellem, ei exponerem: quo facto, domum mihi deſtinatam ut repeterem, cumque vocarer, ſubito comparerem. Aula regia in hunc fere modum comparata erat, per portam quandam in cubiculum veniebatur, quadratum 4. vel 5. paſſus longum æque atque latum, ibi primi aulæ miniſtri 8. vel 10. ſerviebant. Ad aliam portam quidam janitor baculum manu tenens ſtabat, hæc in hortum ducebat ſeu pratum trifolio mire fragrans, ad dextram ſilicibus ſtratum, inde ad paſſus 30. per ſex gradus in cubiculum noſtro more concameratum aſcenditur. In cujus medio fons erat ſemper aqua plenus, ad lævam ſedebat *Aſſambeus* ſuper pulvinari acu picto, aliud à tergo habebat, cui ſe inclinabat. ad latus ancile & Perſicus gladius ſeu Acinaces jacebat; cubiculum hoc undique

dique tapetibus erat conſtratum, ibique primarii aulici ſedebant. Pavimentum atque parietes opere muſacio (majori quam nos ſolemus) ornatum erat. Primo die quo in aula comparui, cantatores quidam & muſici aderant, qui cithara, teſtudine cimbalis & fiſtula ſuavi concentu ludebant. Sequenti die bina veſtimenta ſerica, Perſico more confecta, tum linteolum ſericum, quo cinguntur, & goſſypinum minutum, quo tegmenti vice utuntur cum ducatis 20. mihi miſit, mandavitque ut in forum, quod *Maidan* illis dicitur, venirem, & feſto quod *Tafaruccio* vocant, intereſſem. Eques illuc properavi, reperique ad 3000. equitum, & bis totidem peditum, qui ſpectatum venerant. Regis filii in feneſtra quadam adſtabant. Adducti fuerunt lupi quidam feri, qui uno pede fune alligati erant, in medio foro ſiſtebantur omnes: proſiluit quidam huic ſpectaculo aſſuetus, qui ſublata manu lupum irritabat, contra hunc lupus inſurgebat, & qua parte gula hominis eſt, eum offendere conabatur, ſed fruſtra: hic enim inſultus ejus dextre evitare ſciebat, & non niſi in caligas im-

pingebat lupus,ubi ita munitus erat irritator, ut dentium morſu lædi nequiret. Equi hoc ſpectaculo efferati ſeſſores præcipitabant, quidam in terram, alii in aquam, quæ urbem irrigat, cadebant: uno lupo defatigato, producebatur ad irritandum alius. Hoc ſpectaculo, quod ſingulis diebus Veneris edi conſueverat, finito in aulam fui deductus, juſſuſque cum aliis ſedere humi (ut orientales populi in more poſitum habent) in loco honeſto, mantilia ſupra tapeta fuerunt ſtrata, & unicuique noſtrum pelluvium argenteum vino plenum, aliudque aqua refertum cum poculo argenteo fuit appoſitum. Durante hoc convivio animalia quædam in medium fuerunt producta, ab Indo quodam Principe Aſſambeo dono miſſa: primum Leonza (vel *Leæna*) catena ferrea alligata, cujus magiſter qui eam domuerat, lingua Indica *Babureth* vocabatur: leænæ non eſt abſimilis.ſed crines habet rubicundos, nigris maculis conſperſos: qui & albi & nigri in vultu quoque rubro conſpiciuntur, ventrem album, & caudam leoninæ ſimilem gerit, natura eſſe feraciſſima ſatis apparet. Hoc animal leo ſeque-

ſequebatur, proximeque leonzæ ſiſtebatur, quem ubi adeſſe hæc ſenſit, ſubito inſilire parata, niſi magiſter vi eam longius retraxiſſet. Præterea duo *elephanti*, qui cum in conſpectum Aſſambei veniſſent, ad certa quædam verba quæ ductor ipſorum pronunciaverat, recta ipſum intuebantur, & gravitate quadam non indecenti caput inclinabant, reverentiam illi exhibere ſimulantes. Horum major ad arborem, quæ forte in horto erat, craſſitudine viri, deductus, ad alia verba ſui ductoris, caput ab utraque parte contra eum illidit, conquaſſavitque tam diu donec illam evertit. Poſtea *Camelopardalis* ſeu *Giraffa* in medium fuit adducta, quod animal pedum altitudine equum ſuperat, ſed poſteriores pedes anterioribus breviores ſunt, ungulas ſciſſas ut bos habet, crines colore puniceo, undique maculis nigris magnis atque minutis conſperſa eſt. Venter albus eſt, crines longi: cauda varietate capillorum aſininæ ſimilis, cornua exigua hinnulorum inſtar gerit, lingua ejus brochii altitudine acuta eſt ut ſerpentis, qua & herbas & ramos tanta celeritate devorat, ut vix inglutire ſentiatur.

Caput

Caput cervino non abſimile, elegantius tamen eſt, quo ſublato quindecim pedum altitudinem refert. pectus tamen latius quam equus, & dorſum anguſtius inſtar aſini habet. ſane pulcherrimum animal eſt, ſed ad onera ferenda minus aptum. Tunc tria *columbarum* paria in tribus diverſis columbariis afferebantur, nigris albiſque pennis inſignita, quæ præterquam quod collum longius anſeris ſimilitudine habebant, à noſtratibus nihil differebant. Inde conjicere licuit, magnam harum avium in hiſce regionibus penuriam eſſe. aliter enim adductæ non fuiſſent. Tandem tres *Pſittaci* inſignis magnitudinis diverſorum colorum, & duo mures odorati, qui Zybethum conficiunt, allati fuerunt. His ordine viſis, digreſſus illinc in aliud cubiculum ad convivium accubui, quo abſoluto, is qui curam legatorum habebat, veniam mihi diſcedendi dedit. vix domum perveneram, cum alius à Rege miſſus, accurrit, meque in aulam accerſit, ut comparui, Rex cur diſceſſiſſem quærit; veniam mihi abeundi à legatorum præfecto datam fuiſſe, reſpondi. Tunc ira percitus, præfectum

illum

illum coram ſe vinciri & verberari juſſit, tandem octavo elapſo die me intercedente, in gratiam fuit reſtitutus. Sequenti die, quam hic plagas tulit, ſummo mane vocatus in aulam, conſueto loco honoratus fui, iſque dies feſtus erat, quo propter legatos Indicos plura ſpectacula edita, & triumphi celebrati fuerunt. Aulici veſtimentis Attalicis, ſericis, & Cambellotinis variorum colorum induti erant. In cubiculo regio circa 40. circumſtabant honoratiſſimi, in atrio vero circa 100. exterius vero ad ducentos inter portas utraſque ad 50. In proxima planicie ad 20000. qui omnes epulum operiebantur. Inter hos ad 4000. equitum erant. Advenerunt quoque Indici egati, qui proxime Regi accubuerunt: allataque fuerunt horum munera, & in conſpectu Regis & aulicorum circumgeſta. Primum animalia ſuperius dicta: tunc 100. viri unus poſt alterum ſecuti ſunt, quilibet quinque linteamina tenuiſſima goſſypina geſtabat, quo tegminis vice uti ſolent, unumquodque quinque vel ſex ducatorum pretio veniebat. Tertio ſex viri totidem pannos ſericos ferebant. Quarto novem

alii

alii pocula argentea manibus tenebant, iiſque pretioſæ gemmæ (equos poſtea deſcribam) continebantur. Quinto loco fuerunt quidam crateres,& paropſides,& pocula porcellana dicta, geſtantes. Sexto lignum aloes & ſandalum portabatur. Ultimo loco 25. colles ſeu pyramides ex aromatibus conſtructæ, ſequebantur, perticis & funibus alligati. quilibet à quatuor viris ferebantur. His omnibus perluſtratis, cuilibet eorum epulum fuit datum. Quo finito Rex Indos rogavit,num quis alius apud illos Princeps eſſet Moſulmanus, ſeu qui ſectam Mohometi coleret. Duos adhuc exiſtere reſponderunt, reliquos omnes Chriſtianos eſſe affirmabant. Poſtero die *Aſſambeus* genialiter me excipere, & gemmas dono ſibi miſſas monſtrare cupiens, in aulam me vocavit. Principio digitale arcus ex auro confectum, pyropo magno, caratt. 11. duobuſque adamantibus ornatum, in manus tradidit: anulos quoque aureos duos,quibus pyropi ſinguli incluſi continebantur caratt. 4. nniones plurimæ caratt. 5. Adamas mucronis formam gerens, caratt. 20. duo capita avium, quas in itinere mortuas dicebant, forma

ma & pennis à noſtratibus longe differebant. *Hæc*, inquit Rex, *dona Princeps quiſpiam ultra Perſicum ſinum habitans obtulit, tibi autem ad me converſus, quid videatur*, dicito: Reſpondi, *pretioſiſſima* & exquiſita hæc *munera* eſſe, non tamen ejuſmodi, quin ille longe pretioſiora mereatur. Ad hæc etiam meos tibi quoſdam monſtrabo theſauros, ſtatimque juſſit afferri volumen ſerici figurati, mihique in manus tradi. Ego ſtrophium capiens, eo volebam apprehendere, ne manu contingerem. Quo viſo in me intuens, & ad ſuos converſus, ſubridens eis dixit, *En homines Italos*: quaſi meum illud factum laudans. Alia vice in cubiculo quodam ſub tentorio quieſcentem Regem comperi, iſque ſubito, quid cenſes, inquit, de hoc cubiculo, veſtrane hunc quoque in modum ſunt parata. Reſpondi, noſtra ædificia huic plane eſſe imparia, nec mirum, cum ipſius potentia noſtram longe ſuperet, nec etiam noſtri homines hujuſmodi contignationum genere utuntur, nihil ſane ad ornandum hoc cubiculum deſiderari poterat, forma erat quadrangularia. Undiquaque tapetis ſericis & auleis pulcher-

pulcherrimis ornatum: ejus porta ex ligno Sandalico confecta, aureis laminis, unionumque reticulis elaborata. Juſſit me *Aſſambeus* Rex aſſidere reliquis aulicis, ibique in linteolo balanitas 12. olivarum magnitudinem habentes, prçſtantiſſimi coloris produxit, eæ gemmæ carattos 50. vel 60. ſingulæ ponderabant, ſed aliam addidit reliquis forma & magnitudine præſtantiorem, utpote quæ duarum vnciarum & mediæ pondo excedebat: quæſivit igitur Rex, quo pretio æſtimarem eam gemmam? Subriſi. Ipſeque viciſſim & quid ſentirem rogando inſtitit. Reſpondi, ſimilem balanitam nunquam meis oculis ſubjectam fuiſſe, nec uſquam parem reperiri me certo credere: quod ſi pretium dicerem, balaniteſque loqui poſſet, interrogaretque, num ſimilem vidiſſem, cogerer, quod res eſt, fateri. Quare puto gemmam hanc nullo auro, ſed maxima quadam urbe perſolvi poſſe. Tunc Rex me intuitus, in hæc verba *Cataini, Cataini,* prorupit; *tres* ſcilicet mundus *oculos* habet, duos *Cataini*, unum *Franci* (Europæos intelligens) poſſident. Converſus ad adſtantes quæ interrogaverat, quodque à me reſponſum

ſum tuliſſet ordine narravit. Hæc verba *Cataini, Cataini*, à quodam legato Imperatoris Tartarorum antea inaudiverat. Is è *Cathaia* (quæ Scythia eſt) Anno 1436. redierat, iterque quod Tanaim ducit, ſecutus, hoſpitio à me fuerat acceptus, ſperabam enim gemmam quandam ab eo pro præſtito officio accipere. forte quadam die de *Cathaia* ſermo incidit, tum ille duces ejus regionis & aulicos Francorum ſeu Europæorum notitiam habere, aſſeruit, quod qua ratione fieri poſſet, eum interrogarem: *Theodoſiam* ſæpius eos contendere, mercimoniaque exercere, viciſſim noſtrates in *Tartariam* proficiſci, unde mutua illa cognitio oriatur, reſpondit. Addidit *Catainos* duos oculos *Francos* unum habere: mox converſus ad *Tartaros*, qui forte adſtabant, ſubridens, *vos vero nullum habetis*, dixit. Hæc cum antea mihi nota eſſent, nunc quid ſibi vellet Regis proverbium, quo utebatur, rectius intelligere potui. Mox pyropum, qui *Rubinus* vulgo dicitur, videndum accepi, is magnitudinem caſtaneæ rotundæ ſimilis, unciam unam cum ſemiſſi excedebat, coloris nitore & ſplendore mire præſtabat.

ſtabat. Monſtrabantur quoque balanitæ, pondere & colore præſtantes: Veſtium ſericarum Attalicarumque magna copia edita, eas in Parthia confectas Rex afferebat. Nec non etiam tapeta, ſerico filo elaborata. Poſtridie cum more ſolito in tentorio ipſius comparuiſſem, nummum argenteum mihi monſtravit, qui magnitudine Marcellino vulgari & notæ monetæ ſimilis erat: fœminæ non inelegantem faciem inſculptam habebat, ejus capillum nodum à tergo flexit, ferro tempora cingebantur. *Intuere*, inquit, *nonne hæc facies ſimilis eſt D. Mariæ virginis*. id cum ita ſe habere negarem: & cujus nam hunc, inquit, augurar is eſſe vultum. Antiquam, reſpondi, Ethnicorum deam repræſentat, quod inde patet, ſiquidem ante natum Chriſtum ſculptura hæc facta apparet. Protulit eodem momento Rex adamantes tres; præcipuus carattos 30. ponderabat, reliqui caratt. 12. excedebant, undiquaque puriſſimi, in mucronis formam inciſi. Reſpondit quoque margaritas & uniones plurimas, pretii inæſtimabilis, & raræ pulchritudinis. Hæc omnia in feſto, quo duo ipſius filii circumciſi fue-

fuerant videre & perluſtrare contigit.

Sequenti die in campo ſpacioſo,qui in ipſa urbe eſt, Regem offendi. Is campus frumento ſatus fuerat, ſed feſtorum celebrandorum cauſſa ſeges priuſquam matureſceret protecta,pretiumque poſſeſſori pro damno allato numeratum,eo tempore plurima tentoria, ad 100. niſi fallor, ibi directa erant: juſſit ea mihi monſtrarier Rex, vidique ad 40. circiter, quæ omnium erant pulcherrima, diſtincta habebant cubicula,variis coloribus ornata,pavimentum, tapeta recta. Vidi quoque tentoria duo,ubi varia veſtimenta Perſica, pannique in unum acervum congeſti, aſſervabantur. Ab alia parte ephippia 40. repoſita erant, argento exornata, ea in die feſti, Rex inter ſuos aulicos muneris loco diſtribuere conſtituerat. Duæ inſuper portæ pedum ſex altitudine ex ligno Sandalico confectæ,auro & margaritis ornatæ monſtrabantur. Altera die in ſolito loco eum ſedentem reperi, octo illi magnæ paropſides ligneæ, in quarum unaquaque panis ex ſaccharo confectus, octo librarum pondo, aliaque bellaria, fru-

ctuſque omnis generis erant, oblatæ fuerunt. Diſpoſuit cui ordine tradentur hæc omnia, inter quos primum locum ego obtinui, reliqua aliis proceribus fuerunt diſtributa. Poſtridie in comitatu 15. fere millium, eum ſedentem reperi, 6. coram ipſo ſtabant, ejuſque mandata excipiebant. Imperabat ut certis quibuſdam viris, quos nominabat, munera diſtribuerent. Illi in tentorium, ubi hæc recondita erant, deducti, alii veſtimenta, alii equos, (40. diſtributos opinor) alii ephippia accipiebant. Veſte inter alios & ego donatus fui, his peractis fœminæ quędam advenerunt, quæ choreas ducebant, ſimulque cantus ad tibiarum ſonitum modulabantur. Ad ſaltationes juſſu Regis aſſidentes aulici perrexerunt provocati, & ut quiſque ſaltaverat optime, præmiumque meritus videbatur vel equum vel pannos ungulatos, Damaſcenos, goſſypinos vel ſericos accipiebat, horum pannorum 300. fuerunt diſtributi, equorum circiter 50. duraverunt hæ choreæ ad horam uſque 23. diei. Præterea Athletarum ſpectaculum editum fuit. duo plane nudi, pudenda ſolummodo tecta habentes

bentes Regi ſeſe ſiſtebant. à quo luctandi venia accepta, non eo adnitebantur, ut aduerſarium quiſque ſuum in terram proſtraret, ſed potius ut comprehenſum dorſò prius ſublevaret, rurſuſque ita dejiceret, ut in dorſum ipſe caderet. Multi ſtudio ſe ſublevari patiebantur, ut inter cadendum inſidias ſtruerent adverſario, eumque valde inclinato capite ſubverterent, hacque ratione ſuperiores exiſterent. forte penes Regem adſtabat quidam athleta immani corpore & virium robore gigantem referens, 30. circiter annos natus, cui Rex imperavit, ut luctæ ſibi ſocium ſeligeret, & in palæſtram deſcenderet. Ille vero ad pedes Regis devolutus rogavit, ne luctandi neceſſitatem ſibi imponeret, quod non pauci qui cum eo antea fuerant congreſſi, ad mortem uſque fuiſſent ab eo exagitati, tandemque ſuppreſſi, quo cognito, Rex ei veniam à certamine quieſcendi largitus eſt. duravit hoc ſpectaculum uſque ad ſecundam horam noctis. Interim in urbe varii ornamentorum apparatus fiebant, & merces ſuas paſſim mercatores expo ſuerant. Sed qui ſtadium currebant pedi

pedites propoſitum habebant præmium. eratque Italicum miliare unum cum medio conficiendum, non currebant tamen continuo, ſed ſuccuſſim nonnunquam incedebant. Ipſi nudi erant, totoque corpore unguento illiti, quo nervi confirmarentur, corio pudenda tegebant. Ubi quis alios præverterat, metamque reliquis citius attigerat, ſignum in altum ferebatur, ut qui ſequebantur, ea de re certiores redderentur. Idem fiebat cum ſecundum & reliquos terminos attigiſſet, qui ſæpius hoc ſpacium iteratus fuerat, victor coronabatur, & brabæa ornabatur. Hi curſores Regi ſunt à pedibus, fere nudi ſemper incedunt, indefeſſi per decimum diem curſum continuare valent. His ſpectaculis peractis, peregre Rex cum aula pro more gentis proficiſci conſtituit: num eum comitari, vel domi manere, atque otio frui vellem, quæſivit. Reſpondi, me paratum, & cum ſumma moleſtia aulam ſequi, gratum illi hoc reſponſum fuit, juſſitque ſtatim equum & tentorium mihi conſignari, & pecuniam numerari. Urbe relicta primum ea loca petiit, ubi herbam creſcere optimam,

mam, & aquæ copiam reperiri intellexerat, diebus ſingulis 10. vel 15. milliaria conficiebat. Tres filios ſecum ducebat. Alius qui Babyloniæ morabatur, cum matre eum ſalutandi cauſſa in caſtra pervenit, patrique 20. equos pulcherrimos, 10. camelos, pannoſque ſericos donavit. Eadem liberalitate proceres & barones, qui cum filio venerant, erga Regem uſi ſunt. Non tamen munera hæc retinuit, ſed me præſente aliis pro libitu diſtribuit. Tunc cibi fuerunt appoſiti, quibus cum nos reficeremus, nova adferuntur, *Ogarlumahemetem* Aſſambei filium Perſæpolim, quæ *Syros* dicitur, occupaſſe, ſibique eam urbem partemque regni vindicaſſe, quod falſis quibuſdam rumoribus de Regis morte temere crediſſet. His cognitis Rex cum univerſis copiis Perſæpolim verſus, quæ 120. milliaribus diſtabat, iter arripuit. Magna uſus eſt feſtinatione uno die parteque noctis 40. milliaria confecit, tertioque die ad urbem pervenit. Rem incredibilem narrare videbor, nam qua ratione fieri poſſit, ut tanta hominum copia, viri, fœminæ, pueri & infantes in cunis tam longinquum iter

adeo brevi tempore faciant, vix apparet. Et recte ſervatis ordinibus incedebant, impedimenta omnia animalia geſtabant, nec panis, nec vini penuria laborabant, carne & fructibus aliiſque rebus neceſſariis abundabant. Hæc re vera ita contigiſſe oculatus teſtis bona fide aſſeverare audeo. Magnates & proceres, qui Regem comitantur, uxores ſecum & liberos, ſervoſque atque ancillas, magno numero, pattemque facultatum ſecum ducunt, ad hæc omnia comportanda magna camelorum, mulorum, & equorum copiam alunt. Infantes cum nutricibus muli gerunt, uxores equis incedunt, ordine ſimul præmiſſis mancipiis, caput obnubunt tela minutiſſima, ne ſolis ardore lædantur. viri Regi adſiſtunt. Tanta autem proficiſcentium copia eſt, ut à primis ad noviſſimos medii diei iter interſit. Luſtratio hujus multitudinis in hunc fere modum inſtituta fuit. planiciem ſpacioſam quandam occupavit certus equitum numerus, quorum alii armati, alii inermes erant, ibi à ſummo mane ad 24. diei horam conſiſtebant, interim qui luſtrationi habendæ conſtitutus erat, hinc inde obequitabat,

nec

nec nomina tamen, nec equorum colores vel inſignia deſignabat, ſolummodo qui duces eſſent, quibus parebant cohortes ſingulæ, & quo numero armatorum præſtarent, exquirebat. Hunc comitatus ſum cum quodam famulo, & numeravi fabarum calculis, quæ vidi ordine omnia, eaque conſignata, qua fieri potuit diligentia referre libuit. Tentoria 6000. erant. Cameli 30000. Muli ad onera ferenda 5000. Equi ad onera ferenda 5000. Aſini 2000. Equi bellatores 20000. Inter hos 2000. circiter laminis ferreis auro atque argento pictis, tecti erant. Alii cooperti erant corio, alii ſerico, eo artificio & in hunc uſum parato, ut ſagittæ penetrare nequirent. Eodem modo horum ſeſſores muniti & tecti erant. Conficiuntur laminæ illæ ferreæ in urbe *Beſchone* Perſis, noſtris vero quinque urbes, vocatur, duo milliaria in circuitu habet, in monte ſita; Non alius ibi reperitur incola præter horum armorum artifices; quod ſi quis peregrinis diſcere hoc artificium velit, facile eum admittunt, hac lege, ne vnquam urbem deſerat, aliove habitatum migret. Parantur quoque aliis in

locis, ſed non ea copia neque præſtantia. Præter ſupra ſcripta animalia in exercitu numerabantur, muli præſtantiores 2000. Agmen pecudum & parvorum animalium circiter 20000. Armentum animalium majorum 2000. Leopardi ad venationem aſſueti 100. Falcones 200. Canes leporarii 3000. Canes odori 1000. Accipitres 50. Milites gladio cincti 15000. Servi & mancipia cum gladio 2000. & cum arcu 1000. Equitum ſumma 25000. excedit. Fœminæ præſtantiores & honeſtiores 10000. Ancillæ 5000. Pueri atque puellæ qui 12. annum attigerant 6000. Pueri atque puellæ adultiores 5000. In hoc numero hominum lanceati conſpiciebantur circiter 1000. Peltati 5000. Sagittarii 12000. Reliqui diverſis armorum generibus utebantur. Mechanici atque artifices in certas tribus erant diviſi, ſartores, ſutores, fabri, ephippiarii, quique ſagittas conficiunt, aliique maxima copia caſtra ſequebantur. Præterea etiam piſtores, quique fructus atque aromata & vinum venale habebant. Panis non majori, quam Venetiis, pretio veniebat. Vini menſura quartæ

Venetæ

Venetæ par, ducatis 4. vendebatur. Caro, caſeus, oryza, & fructus, melones inprimis, quorum nonnulli 30. librarum pondus habebant, tum etiam avena vili pretio conſtabat. Sed penula, corium, ephippia, aliaque equorum ornamenta difficilime recuperari poterant. Equi nuſquam venales reperiebantur, paucis exceptis gregariis, quorum ſæpius 4000. vel 5000. è Tartaria mercatores ſimul afferunt, & pro 5. vel 6. ducatis vendunt, parvi ſunt, & ad onera ferenda apti. Inter camelos 8000 fere erant, qui duo tubercula in dorſo habebant, tegmenta eorum & tintinnabulis perſtrepebant: quidam magnates 10. 20. vel 30. horum ſuperbiæ ſaltem & oſtentationis cauſa alebant, nec unquam onera eis imponuntur. Cæteri unum tantum tuberculum habentes, tentoria atque reliqua impedimenta ſanis impoſita geſtabant. Sic mulorum fere 2000. pompæ cauſſa circumducebantur, tegmentis egregie ornatis. Equorum circa 1000 vidi, ad hunc uſum reſervati. Nocte proficiſcentibus magnatibus atque fœminis, ſervi lucernas & luminaria præferunt. Regem 500. circiter equites præce-

dunt, hos alii quidam vexilla alba ac rubra manu tenentes prævertunt, qui magna voce cunctos è via cedere, & Regi ejusque cohortibus ſpacium æquum ad libere incedendum, dari jubent. Hæc quoad ordinem, pompam ac magnificentiam exercitus Perſici animadvertere potui. Sed minus proſpera valetudine tunc utebar, ideo exercitu relicto *Sultaniam* urbem regiam me contuli: quondam florentiſſima fuit, hodie mœniis caret, arx muro cincta ruinam minatur, jam antea à Principe quodam Giuſa nomine deſtructa. Arx milliare in circuitu habet, quo ſpacio templum ſeu Moſchea pulcherrima, arcubus, concamerationibus, januis, valvis, aliisque ornamentis ex auro & argento paratis, inſigniter condecorata, ob præſtantiam ædificii opus rarum atque magnificum. Urbs magna eſt, ultra 3. milliaria in ambitu comprehendit, fontibus abundat, celebrem quondam fuiſſe, ipſum nomen indicat. hodie non bene colitur, ultra 8. vel 10000. animarum vix ibi reperies. Rex interim Perſæpolim accelerabat, ei me jungere omnino animus erat, primum *Culperckeam* perveni,

veni, urbem parvam, noſtra lingua Mancipium domini diceretur; apparet tamen ex ruinis ſplendida quondam ibi ædificia fuiſſe, 2. milliaria in circuitu habet, & citra 500. focos habet. Hoc in loco interpres meus mortem obiit: ab eo tempore nullum reperire potui, qui officium ejus ſuſciperet, præter morem igitur legatorum aliorum, toto quinquennio, quo in hiſce regionibus verſatus ſum, ejus vicem ſupplere coactus fui. Ad Regem ut perveni, haud vulgare ſeveritatis exemplum vidi. Comitabatur eum quidam Coſcadam nomine, annorum circiter 80. natus, cui ſex erant filii, qui omnes munia regia geſtabant; ſcripſerat ad eum filius rebellis Ogurlumahumet, qui Perſæpolim occuparat, juſſusque literas edere, id facere renuit. Comprehenſo igitur, atque in vincula conjecto, barbam primum radere, tunc in macellum deportari, duas uncinas ferreas, quibus appenduntur carnes, dorſo ipſius infigi, ſicque appendi juſſit. Quo ſupplicio per duas horas perpeſſo, tandem extinctus eſt. Sed Ogurlumahumeth, ubi patrem Perſæpolim properare cognovit, urbe ceſſit, datis-

que ad avunculum literis, patris iram mitigare, & in gratiam redire tentavit, contentus quocunque ei libitum fore loco vivere, modo neceſſaria ad victum concedantur.

Tota illa regio *Perſiæ* ad eam uſque viam, qua nos incedebamus, deſerta pulverulenta, ruderoſa & ſaxoſa eſt; & compluribus in locis aquis deſtituta. Et hinc fit, quod ubi aquæ copia aliqua eſt, ibi etiam villæ quædam ſint: ſed eædem nunc majore ex parte deſtructæ ac deſolatæ. Harum quælibet caſtellum è terra extructum habet. Sementes ibi, vinum, & fructus, aquæ omnia vi fiunt, adeo ut ubi non aquæ ſint, habitatio non niſi peſſima eſſe queat. Verum ducere aquam ſub terra ſolent, quatuor aut quinque dierum itinere procul à flumine illo, ex quo eandem hauſerunt. Atque eam ad hunc modum ducunt. Ad fluvium eunt, penes quem foſſam ad putei formam faciunt; dein, recta excavando, cum expenſione libramenti, verſus locum illum eunt, ad quem deducere illam volunt, ſic ut canalem deſcendere ſit neceſſe, qui profundior foſſæ dictæ fundo ſit: & quando jam ad viginti

longe

longe paſſus canalem iſtum perduxerunt: foſſam aliam priori ſimilem efficiunt: & ſic è foſſa in foſſam aquam illam, eo ubi volunt, deducunt: vel, ut melius dicatur, alveum & æquæ ductum faciunt, per quem eandem ducunt. Hoc perfecto opere, caveæ fluvium verſus caput aperiunt, & aquam adfundunt, quam per aquæductus in regionem uſque, & eo quo libet quaſi transfundunt, per radices montis eandem ducentes, & de flumine largiſſime promentes. Id illi ſi non facerent, habitare ibi nequirent, vel maxime etiam propterea, quod rariſſimæ illis pluviæ cadunt. Cum apud quoſdam de regionis ſterilitate loquerer, reſponſum mihi fuit, minime id mirari me debere, quia villa illa, qua progrediebantur, erat ſalubris, nec æſtuoſa, ubi complures herbæ inveniuntur, ſimulque erat in regione temperatiſſimi aëris. Ligna ex quibus domos extruunt, albores ſunt; quorum tot illi in locis aquoſis plantant, ut neceſſitate urgente ad quodvis extruendum opus ſufficiant. Fabros inter ſe lignarios excellentes habent, qui dum comparcere ligna aliquando coguntur, ex ligno (quod in

circuitu toto vix palmum unum vel alterum comprehendit) ſecto tabulatoque portam duorum paſſuum longitudinis, tam apta cum dimenſione artificioſaque expolitione conſtruunt , ut mirum id certe ſit. Et hoc etiam modo podia resque alias uſui domeſtico inſervientes elaborant : adeo ut à latere ſi quis inſpiciat, fruſta intus ligni appareant. Similiter ciſtas etiam præparant. Et ut certo confirmem , non alios ibi, neque majores neque minores, neque in monte neque in plano albores exiſtere: incidi interdum in ſpinarum arbuſtum, cui ingentem ſegminum & ſcrutorum adhærere copiam vidi, per quæ hoc illi intelligi volunt; quaſi febrem & morborum alia ſymptomata arceant. In exercitu quamvis infinita populorum multitudo ſit : ne unus tamen reperitur, qui ex infortunio aliquo doleat, aut mœſtus alias ſit: cuncti hilares & lętiſſimi,cantãdo, ſpatiando,ridendo,potando ſeſe exercent.

Iter noſtrum perſequentes urbem invenimus quandam vocabulo *Spabam*; ea muris è terra erectis & foſſis undique circundata complures hactenus in admirationem ſui mortales pertraxit:

traxit: præterea quatuor circuitui ſuo millia includit, & vicorum ad decem millia habet: in illis tam pulchra ædificia atque in urbe ipſa ſunt. Hanc porro urbem populoſam, divitem, & multifario artificum operariorumque genere refertam eſſe comperimus. Quondam hæc Principi ſuo rebellis erat: quo factum, (annis jam inde viginti elapſis) ut Rex quidam Perſiæ vocabulo *Giauſa* eo venerit, qui in priſtinum eos obſequium reduceret. Is rebus ſuis confectis ac diſpoſitis, inde tandem diſceſſit. Unde breve poſt tempus, cum rebellis iterum fieret, copias ſuas emiſit, ſingulari cuiq; militũ propoſito mandato, ut in reditu ſinguli ſingula hoſtiũ capita referrent: poſtquam urbem incendiis atque rapinis vaſtaviſſent. Atque hi quidem ſtrenue imperata ſunt executi: adeo, ut (quod multos, qui in exercitu illo fuere, referre audivi) quidam quibus capita maſculorum non ſuppetiiſſent; fœminarum pro iiſdem capita, capillis abraſis obtruncarent; ut hoc pacto Principis ſui juſſis obſecundarent. Et hinc evenit, ut tota jam illa fere regio ruinoſa deſtructaque ſit. Nunc ſexta illius pars tantum incoli-

tur. Antiquitates complures pulcherrimæ, notabilesque ibi ſunt: has inter præcipua, maxima quædam quadrataque caverna eſt: illi intus aqua ineſt, paſſus unius profunditatis, limpida & puriſſima, ad bibendumque haud inſalubris. Hanc circum ripa eſt, & hujus in ambitu columnæ cum ſuis fornicibus & domiciliis, aliisque complurium mercatorum cellis: atque hic locus tempore nocturno ob mercium cuſtodiam, aſſiduo clauditur. Res & operæ aliæ multæ & pulcherrimæ ibidem conſpiciuntur: de his in præſentia nihil habeo quod dicam. Id ſaltem adnotare memorabile placuit: quod id temporis (prout illi dicebant) quinquaginta hominum armatorum millia eadem urbs aluerit. *Caſſanum* poſtea devenimus, urbem populoſam, ubi res ex ſeta & goſſipio confici pulcherrimæ ſolent: tanto in numero, ut ſi quis una die ejuſmodi mercium pro decem etiam aureorum millibus emere velit, venales ibi facile reperiat. Ambitus mœniorum urbis millium trium eſt: extra villas longiſſimas pulcherrimasque habet. Illac *Comum* appulimus, urbem male exædificatam, cujus ipſius muri in-

cir-

circuitu ad millia ſex extenduntur. Hæc non ejuſmodi eſt, quæ artifices aut operarios præſtantes alat: ſed incolæ plærumque agriculturæ laboribusque ruſticis dediti ſunt, præterque hoc in vineis fodiendis, hortis plantandis, fructibus delicatioribus educandis occupantur. E fructibus inprimis pepones ſunt excellentes, horum unus librarum triginta pondo eſt. Extra iidem in cortice virides ſunt, albi intus, ſapore haud ſaccharo dulcedine inferiori. Domorum in univerſum ad viginti millia habet. Progreſſi ulterius *Jexum* pervenimus, quę urbs operariis & artificibus præſtantiſſimis abundat: quales illi ſunt, qui ſuas operas ex ſeta, goſſipio, & ciambelotis contexunt. At circa hoc ipſum in dubium aliqui vocare narrationis veritatem auſint? Hos ego parum profecto vel nihil moror, utpote qui optime mihi de certitudine ſim conſcius: atque ulteriori cunctatione poſthabita, in relatione mea pergo. Urbs illa ſpacium in circuitu millium quinque mœnibus ſuis includit, atque varias ibi contexunt elaborantque operas ex ſetis illis, quæ *Strana* & *Azu* veniunt, & regionibus illis, quæ verſus

Za-

Zagathai & mare Caſpium ſitæ ſunt: quarum omniū optimæ Jexum perveniūt, qui poſtea majori ex parte operas ſuas conficiunt ex materia, quam in *India, Perſia, Zagathai, Cino* & *Macimo*, partim etiam *Catajo, Burſia,* & *Turcia* coemerunt. Atque hæc tanto ibi cum ſtudio & induſtria fiunt, ut ſi quis pannum in Aſſyria, aut merces alias ſplendidas ac pretioſas emere velit, non aliunde quam inde plærumque tollat. Quando quis coemendarum mercium cauſa eo venit, is in forum mercatorum ſe confert, in quo circumcirca tabernulæ extructæ ſunt, & in medio illarum locus quadratus vacuus ad tabernas alias extruendas ibidem relictus. Portas habet duas catenis ſuperductis, ideo ne per eaſdem equi intrent. Eas una cum reliquis intrant, & (ſi aliquos inter illos notos habeant) ibidem conſidunt: at non ubi forte viſum commodius. Quælibet tabernarum ſex in circuitu pedum eſt: & ſi quando plures mercatores adſunt, ſinguli ſingulas tabernas occupant. Hora interdiu ſtatuta, adſunt quidam, qui pannos ex ſeta mercesque alias humeris geſtantes circum ubique taciti ac ſilentes eunt.

Illi

Illi vero, qui tum fortaſſe mercatores adſtant, ſi ex mercibus aliquam, quæ ſibi arrideat, conſpicantur; bajulos iſtos compellant, & ulterius ſi emere quid volunt eo (quod ſupra in carta expreſſum plærumque extat) pretio cognito eodemque depoſito, tollunt merces, easque intus in tabernam conjiciunt: & hæ quidem res omnes, momento uno, relicta ſermocinatione ulteriori fiunt. Nam mercator quicunque eſt, continuo atque cum eo qui merces illi emendas obtulit de pretio tranſegit, diſcedit. Atque hic quidem mercatus ad horam uſque ſextam durat. Veſperi hora certa venditores veniunt, pretiumque pro mercibus auferunt. Interdum ſi nullus eſt, qui pretium æquale rebus offerat, diſcedunt, ſequentique die revertuntur. Dicitur interdum una die in urbe illa onera ſetarum duo divendi, quæ menſuræ modo decem millium librarum pondus æquant. De iis quæ ex Ciambelotis, goſſipio, & id genus materia alia operæ conficiuntur, ulterius nihil dico: cum præſertim ex illis, quæ ex ſeta fiunt, facile quis rationem ducat, quanto plus ibi rerum ejuſmodi aliarum paretur. Hactenus

iter totum meum adNoti viam direxi: nunc perOrientis rurſum viam revertar: in ea primum *Syras urbs* aſpectum noſtrum ſubiit: hæc maxima & latiſſima cum vicis ſuis millia viginti circundat. Ingens illico populi multitudo & mercatores frequentes, nam omnes ii qui è partibus ſuperioribus velut ab *Ere Sanmarech* aut *Niſu* veniunt, ſi per Perſiæ viam venire volunt, tranſire Syras neceſſario debent. Fluvius illico gemmas & ſetas, ſolum item aromata meliora delicatioraque, ut Rheobarbaram, & id genus frutices alios producit. Urbs iſta ab Aſſambejo muris extra è terra altiſſimis & fortiſſimis munita, foſſiſque profundiſſimis circundata, intus vero Moſcheis plurimis ac magnificentiſſimis ædibus, rebuſque aliis nobilioribus ornata ſplendet. Animas hominum ad ducenta millia, & plures etiam alit. illico, ſecure ſatis, abſque diſcrimine ullo, per dies aliquot viximus. Inde, Perſia prius emenſa *Ere* ſumus ingreſſi, urbem in medio regionis *Zagatai* ſitam. Huic filius Soldani *Proſaithi* imperat: per ſe alias latiſſima eſt, Syris parte tertia minor; eandem in operis ex ſeta & goſ-
ſipio

pio conficiendis æmulatur. De ca-
ſtellis, vicis, oppidulis in itinere illo
tis, cum circa eadem memorabile nil
deo occurrat, nihil eſt quoque quod
ı præſentia commemorem. Aquilo-
em ſi paullo verſus procedas, in ſoli-
ıdines & agrum ſterilem devenies :
quæ ibi nullæ prorſus, excepto quod
licubi putei manu facti ſunt: fruticum
erbarumque parum, ſylvarum ac ſ..l-
ıum minus;atque continuum ſic qua-
raginta dierum itiner eſt.Dein in hac
ſa *Zagathai* regione, urbs alia maxi-
ıa populoſiſſimaque reperitur, voca-
ulo *Sammarcahanth* qua omnes ii, qui
imo & *Macimo* aut *Catajo* veniunt
ıercatores viatoreſve tranſeunt. Mer-
atorum ibi & artificum copia. Filiis
uondam *Giardæ* parebat. *Cim* vero &
lacim,quorum ſupra facta eſt mentio,
rovinciæ duæ ſunt maximæ: qui eaſ-
em incolunt, idolatræ ſunt · & regio
æc ea eſt, in qua catini & patinæ è
orcellana fiunt. Immenſæ ibi nego-
ationes gemmarum, ex ſerico ope-
ım idque genus aliarum rerum exer-
entur. Illinc in Provinciam *Cataii*
iſceditur: qua de narrare tantum con-
itui,quantum ipſe ex legati cujuſdam
Tartari

Tartari relatione percepi. Hunc igitur cum aliquando in urbe *Tanai* conveniſſem, & varii inter nos de Provincia illa ſermones agitarentur; inter alia is retulit, quod cum loca illa, quæ modo diximus, tranſiret, atque poſtea regionem *Catajum* intraret, omne illud quod in itinere impendiſſet, exſolutum pro ſe fuiſſe, uſque dum in urbem quandam perveniſſet vocabulo *Cambale*, ubi honorificentiſſime exceptus & habitus fuerit, atque idem mercatoribus omnibus, qui illac iter feciſſent, uſu veniſſe. Ductus deinde eo, ubi erat Dominus, eſt: & ad portam cum habitationis perveniſſet, in genua extra procumbere juſſus eſt. Locus erat is planus, latus & longiſſimus: In medio hujus pavimentum lapideum erat, & ſuper hoc Dominus in ſella collocatus ſedebat, & humeros ad portam habebat converſos: à latere quolibet quatuor illius ſedebant miniſtri, itidem ad portam converſi: à porta autem eo uſque quo quatuor illi ſedebant, paſſim clavarii quidam ſtabant, bacillos argenteos manu geſtantes, qui in medio ſui callem velut aliquam relinquebant: in media hac calle ſparſim Turcæ aliquot

ſuper

ſuper calcaneos deſidebant, qualiter hic apud nos factitare fœminæ ſolent. Reductus à porta legatus demum eſt, juſſusque quæ in mandatis habebat, explicare: quod cum eſſet exequutus, eadem hæc quæ explicuit, à ſingulis Turcarum, qui à latere ſedebant, repetita fuere, demumque acceptus pro dignitate is eſt: mandatumque illi, ut in hoſpitium reverteretur, ibidemque rogationis ſuæ reſponſum expectaret. Quamobrem non illi amplius ad Dominum reverti neceſſum fuit: ſed cum Conſiliariis ſaltem de re conferebat, iis, qui ad hoſpitium illius miſſi fuerunt, qui quidem huc & illuc rogata & reſponſa ferendo, negotium brevi dierum vel horarum ſpacio expediverunt, ut contentus legatus diſcederet, &, non minus illi de proſpera rei tranſactione lætarentur. Famulus quidam legati hujus, & alter ejuſdem ſervus, qui ambo cum illo fuiſſent, res mihi dictu mirabiles de juſtitia, quam incolæ loci illius exercere ſoleant, referebant: inter quas unam, cum non levioris ſit ponderis, quam aliæ, adnotare huc placuit. Cum die quadam, *inquit*, in Madian, quod aream apud eos ſignificat, eſſem, fœminam

nam quandam, quæ hydriam lactis in capite portabat, conſpicatus ſum: & ecce venit quidam, qui hydria ſublata, lac illud bibere cœpit: tum hæc ſubito clamare, lamentari, plorare, quod vidua miſerrima peculio ac mercibus ſuis ſpolietur. Nec mora: prehenſus is fuit, qui injuriam feciſſe mulierculæ videbatur: & oblique in partes duas enſe diſſectus, ſic ut una vice ſanguis & lac per viſcera effunderentur: atque idem hoc legatus ipſe deinde pro vero mihi narravit. Subjunxit & hoc: fœminam quandam, quæ in mola goſſipina laboraſſet, pannum extraxiſſe, eundemque à tergo ſe penes poſuiſſe: tum quendam, qui forte fortuna præteriit, pannum illum abſtuliſſe, unaque abiviſſe. Converſa autem fœmina, cum auferentem pannum conſpicata eſt, clamare, lamentarique incipit: ac dein cum eundem inquiſitoribus monſtraviſſet, ſubito hic ab illis prehenſus eſt, eodemque modo quo prior in partes obliquas diſſectus. Dicunt non in urbibus ſolum, ſed extra etiam in viis ubique circum, per quas viatores incedere ſolent, ſæpenumero ſuper ſaxum, aut in alio quopiam loco res pleraſque inveniri;

quæ

quæ invicem à viatoribus & amittantur ibi, & viciſſim reperiantur: nullum tamen ex his reperiri eum, qui vel minimum illarum quid tollere ac ſervare pro ſeipſo auſit. Et quod magis eſt, ſi quis (cum duo ſimul in via ſunt) alterum quo eat, interroget: & hic parum eidem vel fidat, vel ſuſpectum ob idipſum habeat, ac proin de re, cum eo qui rogaverat, expoſtulet, tum continuo juſtam & licitam rogationis ſuæ cauſam illi explicet, oportet, ni pœnæ & animadverſioni temeritati ſtatutæ ſubjicere ſe velit. Atque hinc conſtat, ſummam tum libertatis, tum juſtitiæ in regione ea rationem haberi. Mercatores omnes, qui ad id loci deveniunt, merces ſuas in forum ſibi ad id deſtinatum deportant, ibidemque emendas exponunt. Tum hi, qui eo veniunt emtionis gratia, ſi forte rem quampiam, quæ Domino placet, reperiunt, tantum ejuſdem quantumlibet ſumunt, & contra aliud quidpiam quod ejuſdem ſit cum priori valoris ac pretii, mercatori dant. In minutis ſumtibus faciendis moneta ex papyro cuſa utuntur, quæ quotannis varie forma imprimitur; vetus autem moneta ad anni alterius

terius initium in officinam monetæ defertur, ubi illi, qui eam detulit, nova & recens moneta datur, cum prius duo pro centum perſolverit monetæ bonæ & argenteæ: vetus autem moneta in ignem conjicitur. Aurum & argentum ad pondus venditur, ubi & ex hujus generis metallis certæ magnitudinis moneta fit. Religionem Catainorum iſtorum puto Ethnicam eſſe: quamvis plurimi Zagataini, aliarumque nationum homines, qui inde revertuntur, *Chriſtianos* eſſe adfirment. Cum ex illis quæſiviſſem, *quomodo Chriſtianos ſcirent eſſe*, reſpondebant, *ideo quod in Moſcheis illorum ſtatuæ habeantur ad ſimilitudinem earum, quæ in noſtris templis ſunt*. Factum aliquando, ut cum in urbe Tanai cum legato illo eſſem, forte fortuna inciderem in Nicolaum Diedum ſenem Venetum noſtrum, qui interdum veſte ex panno ſe induebat, ea ſubſerico ſuperinducta cum manicis apertis erat; prout tum Venetiis portare ejuſmodi plerique conſueverunt: caput autem tegebat pileo, qui ex palea textus quatuor ſupra erat marginum. Hunc mox atque vidit legatus, vehementer admiratus, *hæc*

veſtis,

veſtis, inquit, *talis eſt*, *quales geſtare ſolent Cataini* : ergo & illi in religione nobiſcum conſentiunt, cum habitu in veſtimentis noſtro utantur. Vinum in regione illa non naſcitur, cum frigida nimium ſit : verum fructuum aliorum copia eadem abundat. Atque ea (una cum rebus aliis compluribus, quas præterire hic ſponte volui) habui, quæ ex legati Tartarorum relatione ejuſdemque familiarium facta mihi, de iis quæ Cataiorum regionem ſpectare videbantur, referrem, ipſe ego eo nunquam perveni. Sed *Taurin* rurſum revertar, quæ (ut ſupra à me dictum eſt) inter meridionalem orientalemq; plagam ſita eſt. Verum in præſentia de his quæ in via Orientis & Septentrionis loca vidimus, dicendum aliquid erit. Principio urbem reperimus vocabulo *Chuerch*, omiſſis caſtellis aliquot, quæ paſſim in urbem illam migrantibus conſpiciuntur; de quibus nihil adeo memorabile ſeſe offert, quod dicamus. In dicta urbe puteum aquæ eſt ad ſpeciem fontis alicujus effoſſum, quod aſſiduo à ſacerdotibus aliquot, qui *Taliſtmanni* ibidem appellantur, cuſtodiri ſolet. Summæ aqua illa virtutis

eſt,

eſt, &, ut ferunt, adverſus lepram & locuſtas remedium ſaluberrimum adfert. Eo tempore Gallus quidam cum aliquot famulis & ducibus, qui Oethyopes erant, illac tranſivit, qui lepram ſentiebat, & quantum perſpicere nobis licuit, ad lavandum eo conceſſerat. Quis ſanitatis illius effectus ſecutus ſit, ſcire non poſſum: hic tamen in ore vulgi rumor erat, permultos ſanatos fuiſſe. Cum adhuc ibi morarer, Armenius quidam (diu ante adventum meum) à Rege Cypri pro aqua illa miſſus, ibidem etiam verſabatur, illius in reditu aliquandiu cum Thaurin proficiſceremur, comes fui, ubi poſt duos menſes, cum Thaurin appuliſſemus, hic aquam collectam in lagenam lapideam infudit, & poſt duos dies, cum ſegregaret ſe à me, cœptum in Cyprum iter continuavit. Eodem poſtea loci cum in reditu meo deveniſſem: eam ipſam aquæ illius lagenam, de baculo quodam pendentem vidi: qui è turri quadam exporrectus eminebat: & per hoc hominibus regionis illius intelligi dabatur, ejus virtutis aquam illam eſſe, quæ præſtantiſſimum contra locuſtas remedium adferat. Etiam aviculas quaſ-

quaſdam nigri rubrique coloris vidi, quas Mahometicas ibi appellitant: hæ confertim muſcarum more volitant, & (ut intellexi ego,tum cum in Cypro in reditu meo eſſem) cum in locuſtas incidunt,interimere omnes,quotquot reperiunt,ſolent: ac proinde ubi aquæ illius eſſe copiam ſentiunt,eo (ut incolæ regionis ferunt) cunctæ advolant. Urbs *Cheracb* parva eſt: per eandemque aditus ad rubrum mare,alio nomine ſinum Perſicum commeantibus patet. In hoc mari inſula quædam reperitur, in eademque urbs alia vocabulo *Ormuas*: hanc & continentem terram inter diſtantia millium duodeviginti eſt: inſula ipſa in circuitu ad millia ferè ſexaginta patet. Terra per ſe ſpacioſa, fertilis, habitabiliſque ſatis eſt. Aquas, præter eas, quæ ciſternis & puteis conduntur, nullas fovet: & hac etiam cum incolæ deſtituuntur, ſolent ex continenti petere, ubi etiam ſtationes ſuas habent. Tributum Aſſambeio ſolvunt. Operæ ex ſeta ibi magna in copia fiunt, & mercatores ex India in Perſiam, & viciſſim venientes,ad portum ejuſdem appellunt. Dominus appellatur Sultan *Sabadim*, qui in Indiæ

vias paſſim naves onerarias aliquot ad Conchas Margaritarum, aliaſque ejus generis res pretioſas capiendas emittit: atque ibi cum eſſem, duo tunc ex India mercatores cum margaritarum, ſetæ, aliarumque rerum mercibus eo advenerunt. In ſinum hunc Perſicum nobiliſſimus fluviorum *Euphrates* ſeſe exonerat: hujus à littore ſex dierum itinere procul *Bagdath*, aliter Babyloniam veterem voces, urbs ſita eſt. Famæ olim magnæ fuiſſe quilibet exiſtimet, quæ majori de parte deſtructa deſolataque ædificiorum ad decem fere millia mœnibus ſuis includit. Victualium præterea fructuumque delicatiſſimorum copia abundat: quales dactili ſunt piſtacea, hiſque alii guſtu & ſapore ſimiles: quos inter & Cydonia reperiuntur, noſtris magnitudine & ſapore haud imparia. Alia etiam Cydonia quædam ibi ſunt, quæ durum nihil tale quod noſtra inter corticem fovent, guſtumque præbent dulciſſimum. Malorum etiam punicorum genus quoddam illico eſt, quæ non magna admodum ſunt, & magna ex parte corticis ſubtilis: ea in modum pomorum auraicorum educantur, in eademque nihilomi-

hilominus dentes immitti poſſunt, velut in aliud quoddam pomum:ſiquidem ſepimentis in medio carent,excepto quod in fundo quædam rariſſima adparent. Sapor illorum dulcedini aliquantulum mixtus eſt: quædam etiam eorum lignello illo,quod noſtris grano in medio eſt, carent: quædam vero tam ſubtile idem habent, adeo ut ne tum cum in ore eſt, ſentiatur: tamque parum quis cum comederit, inde expuit,quam ſi uvis ſe paſſis paviſſet.Sacchari etiam confectorumque alorum ſapidiſſimorum quam plurimum conficitur: Siropporum vero inprimis, quæ dein in Perſia locisve aliis conſumuntur. Nunc ad Ormuos revertar,& pauca quædam de locis illis,quę eidem ſunt oppoſita, commemorabo. Ea autem illac à ſinu eo ſita, Aquilonem verſus ſpectant: & à latere quidem uno Perſiam, ab altero vero Syriam Barbariamq; vicinam habent. Ibidem autem Turcæ incolunt,& ſinus ille ab hac parte ad ducenta millia latus eſt,& à parte altera loca quædam Indię ſunt, trium Turcicorum Dominorum imperio & poteſtati ſubjecta. Extrema vero Indiæ omnia *Prategiano* Regi

parent.Euntibus autẽ Notũ & Orientem verſus,ſic ut ſinus ipſe procedit,in finibus mox civitas conſpicitur vocabulo *Calacuth*: hæc decantatiſſima & famoſiſſima apud omnes receptaculum hoſpitiumq; e diverſis in eam locis comigrantibus mercatoribus eſt: quales hi ſunt,qui per ſinum navigantes, Cataio & cunctis aliis è regionibus eo veniunt. Navigiorum ibi aſſiduo maximorum copia eſt: ſiquidem leviſſimis rariſſimiſque tempeſtatibus mare patet. Spacioſa amplaque mediocriter terra eſt, & aliorum etiam ſatis negotiatoribus incoliſque munita. Ad dictam ripam, quæ Ormuos opponitur, terra quædam eſt vocabulo *Lar*, fœcunda & ampla admodum, quæ duo millia ædificiorum continet, ſed nec viatoribus quidem ea, nec negotiatoribus caret, ſiquidem hi qui per ſinum illum veniunt diſceduntque omnes ad hoc oppidum appellunt. *Syras* dein reperitur, de qua ſupra quædam dicta à nobis ſunt. Hinc ad urbem quandam pervenitur vocabulo *Camara*. Unius illinc diei itinere diſtat pons quidam, qui ſupra *Bendamyrum* latiſſimum fluuium extructus eſt. Pontem hunc Salomo-

lomonem ad *Oumaiæ* villam ædificaſſe ferunt. Mons illi vicinus rotundus quidam eſt, qui ab uno latere diſruptus eſſe videtur; ad eundem acceſſus ſex paſſus in altitudinem tendit. In ſummitate montis planicies eſt, circum autem circa columnæ quadraginta, quæ *Cilminar* adpellantur, quod noſtro idiomate *quadraginta columnas* ſignificat. Harum quælibet viginti brachiorum longitudinis eſt, craſſa vero adeo, ut tres circumplecti homines eam poſſint: quædam ex his deſtructæ jam ſunt. Et ex hoc colligi potuit, ædificium aliquod ſplendidum quondam ibi fuiſſe. Poſtea ſupra planiciem illam, ſaxum eſt ſolidum, in quo exſculptæ plurimum hominum ſunt imagines, gigantum inſtar proceræ, & ſupra omnes has figura in circulo una, ſimilis his noſtris, per quas Deum patrem intelligimus, ejuſdemque in manu globum fingimus: & ſupra eam aliæ ſunt ſculpturæ parvæ, in oppoſitu figuræ cujuſdam hominis, arcui incubantis, quæ Salomonis repræſentare perſonam dicitur; inferius aliæ multæ ſunt, quæ majores ſuos ſupra tenent: atque inter minores illas figura quæ-

dam eſt, quæ in capite Papalem geſtat mitram: hæc brachium extenſum manumque apertam habet, quaſi benedictionem illis, quæ infra ſunt, impertitura: eæ autem univerſæ eam reſpiciunt, videnturque certiſſime atque avide benedictionem expectare. Paullo ante figura quædam grandis equeſtriſque eſt; quæ hominem præ ſe fert robuſtum & validum, & hanc dicunt eſſe Samſonem: eam penes figuræ ſunt aliæ innumerabiles habitu omnes Gallico veſtitæ capillis longis. Ac omnes quidem illæ figuræ ſtatura ſunt media. Duorum illinc dierum itinere villa quædam diſtat *Thimar* dicta: & ab eadem ſimili rurſum ſpacio alia quædam villa, ubi monumentum quoddam extructum eſt, in eademque ſepultam *Salomonis* matrem eſſe dicunt: ſupra hoc capella facta: & in pariete illius characteres Arabici, ad hunc modum expreſſi: *Mater Sulcimen*, hoc eſt, *mater Salomonis*. Locus ille ab incolis indigetatur *Meſſeth Sulcimen*, quod nos *templum Salomonis* eſſe dicimus: porta illius Orientem verſus ſpectat. Hinc trium dierum ſpacio ad villam quandam pervenitur, nomine *Debebeth*; in

qua

qua agriculturæ goſſipinæque operæ coluntur. Illinc eodem intervallo locus quidam diſtat, qui V.rgari adpellatur: quæ terra præterito tempore pulcherrima ampliſſimaque fuit: nunc mille ſaltem ædificiorum in univerſum continet: in hac incolæ agricolæ goſſipiique operarii ſunt. Ab ea quatuor dierum itinere alia villa eſt vocabulo *Deiſer*, & iterum trium dierum itinere, ab eadem quædam *Taſte* nomine: quam poſt, itinere diei unius Jex reperitur, de qua ſatis ſuperius verborum à nobis eſt factum. Inde *Meruthum* itur, admodum anguſtam: à quo opp ido duorum dierum itinere, ſiniſtram verſus flectendo, villa *Guerde* diſtat, in ea quidam habitant, qui *Abraini* indigetantur: qui, ut ego quidem exiſtimo, vel originem ſuam ab Abrahamo habent, vel religioni ejuſdem addicti ſunt: & hi pileos in capite longiſſimos portant. Brevi inde itinere terra quædam ſita eſt, vocabulo *Naim*, deſerta & deſolata admodum, quingentaque duntaxat ædificia ambitu ſuo includens. Duorum ab ea dierum itinere *Naiſtam* diſtat; & illinc viciſſim duorum dierum itinere *Hardiſtan* terra

anguſta, ea quæ non ultra quingenta ædificia habet. Procul ab ea trium dierum itinere *Caſſan* conſpicitur, de qua ſuperius nonnulla diximus. Hinc eodem intervallo *Con* poſita eſt, ſupra etiam à nobis aliquo modo nominata. Dein *Sava* eſt, quæ ædificiorum ad mille habet: atque in omnibus his locis agriculturæ goſſipiique operæ exercentur. Sava trium dierum itinere procul, terra anguſta quædam reperitur, vocabulo *Euchar*: inde trium quoque dierum itinere in *Sultaniam* tranſitur; de qua ſupra quædam attigimus: à qua iterum ſex dierum itinere *Thauris* diſtat. Ea loca ſi quiſpiam relinquat; & Orientem & *Zagathai* verſus ad mare procedat: loca ſubſcripta hæc omnia inveniet. Thauri in *Sultaniam* ſex dierum itiner eſt: à Sultania *Eutharin* trium dierum iter: Euchari *Savan* quatuor dierum iter: Sava *Choin* terram anguſtam ſex: Choi *Sarrin* terram itidem parvam trium: Sarro *Sindanum* quatuor: Sindani *Tremiganum* trium: Tremigano *Bilamum* ſex. Dein *Strava* eſt, à qua nomen ſumſerunt ſetæ illæ quæ *Stravanæ* nobis dicuntur. Hæc ad mare Caſpium ſita, aëris non eſt ad-

modum

modum temperati : tritici parum pro-
ducit : riſis pro alimento incolæ illius
utuntur, ex quibus aliquando panem
conficere ſolent : in aliquibus locis, u-
bi aqua ſuppetit, Felliſeas conſuunt: &
in ripa fluminum illorum caſulas ſuas
& intus in iiſdem ahenum cum ſera
ponunt, immanem enim ſetæ ver-
mium, mororumque alborum habent
copiam. Ibidem perdices ſunt innu-
merabiles. Et cum Dominus,aut per-
ſona alia,loci alicujus, convivium in-
ſtruit : perdices iſtæ coquuntur,& cui-
libet poſtquam accubuerunt convivà-
rum patina riſorum & dein perdicum
ſingularis apponitur : atque ſic univer-
ſus fere populus perdicibus veſcitur:
quæ minimo quoque apud eoſdem
precio væneunt. Ad littus prædicti
maris plures etiam urbes ſunt poſitæ,
ut *Strava Zanzinbenth*, *Mandrandam*
& aliæ quas recenſere nunc omnes ſu-
perſedeo : & in his meliores ſunt ſetæ,
quæ è locis illis veniunt. Non incon-
venienter facturus videor (cum vicina
prope loca ſint) ſi de iis etiam pauca
commemorem, quæ in via *Thrabiſon-
de* Thaurin Africum verſus eunti ſeſe
memoria digna objecerunt. Prima ad

mare magnum in itinere *Trabizondino* urbs quædam pulcherrima latiſſimaque ſeſe objecit : cujus olim Dominus titulo Imperatoris uſus eſt (frater enim Imperatoris Conſtantinopolitani cum eſſet, ſe ipſum quoque Imperatorem adpellari voluit : quam ob rem & ſucceſſores illius omnes, etiamſi fratres non fuiſſent Imperatoris, per manus invicem tradito hoc ſibi titulo, fruebantur.) Hac de regione plura non dico : nota enim per ſe ſatis & celebris eſt. Inde Thaurin, & ſic ut dictum prius eſt, verſus Africum commeando, paſſim in via villæ caſtellaque complura viſuntur, ire etiam per montes ſolitudineſque oportet : & primus qui reperitur locus notabilis, caſtellum quoddam eſt in planicie in vallo poſitum & montibus undique circumdatum vocabulo *Baibuth:* munitiſſimum id natura & fortiſſimum eſt; ſolum circa illud fertiliſſimum & omnis generis frumenti feraciſſimum: extra id ędificia mille & quingenta ſunt : quæ omnia poteſtati ac imperio Aſſambeii ſubjacent. Hinc quinque dierum itinere, *Arſengan* diſtat; quæ magna olim fuit civitas: at nunc majore ex parte de-

ſtructa

ſtructa devaſtataque eſt. Poſtea verſus Occidentem Africumque eundo, duo ultra illhac millia Euphrates celebratiſſimus fluvius eſt: hic pontem lapideum tranſit qui longiſſimus pulcherrimusque eſt, ſeptendecim arcuum in universum eſt. Poſt hunc brevi intervallo ſitum eſt caſtellum *Carpurth*; quod quinque Arſengangio dierum itinere diſtat. Ibidem tum uxor Aſſambeii morabatur: ea quæ filia Imperatoris Trabiſondini fuit. Locus ſuapte natura fortis & munitus, majori ex parte à Græcis Calogieriſque incolitur: qui confœderati cum Domina iſta ſunt. In via caſtella & villæ complures paſſim viſui ſeſe offerunt. Deinde caſtellum quoddam eſt vocabulo *Moſchone*; & aliud quoddam *Halle* dictum, & tertium quod *Thene* adpellant, ſingula fortia beneque munita; quodlibet eorum ædificia ad ſe pertinentia habet quingenta: à parte dextra flumen quoddam unum ex his alluit: quod ſcaphis cymbiſque tranſiri ſolet: atque id vicinum *Capurtho* (de quo ſupra dictum fuit) ortum habet. Incolæ locorum iſtorum qui ad Iuriſdictionem caſtellorum horum pertinent, *Coniari* vulgari nomi-

ne dicuntur: quod gregiarios in lingua noſtra ſignificat. Ultra in orientis via procedendo itur ad caſtellum quoddam muratum ſupraque ſaxum poſitum, *Pollu* adpellant;quod extra ædificiorum ad trecenta efficit: atque hoc fluvius quidam alluit. Orientem poſtea verſus eunti, quatuor dierum itinere confecto, à ſiniſtris, caſtellum *Amus* eſt in campis mediis extructum & ab incolis vacuum. Univerſa hæc regio vicina Trabizondæ eſt: vinique ingentem copiam producit: vites etiam ibi ſupra arbores creſcunt; neque metus inde ullus, ut à ſole lædantur aut adurantur: & dolium unum vini, aſſiduo in locis illis, ducato, vilius ſolito noſtro precio divendi ſolet. Sylvæ plenæ ſunt nucum, fortis illarum quæ in Apulia naſcuntur: ſolum mediocriter etiam fœcundum & fertile. In certis quibuſdam regionis partibus vinum naſcitur quod *Zomari* illi adpellant. Huic proxima eſt *Turcia*, quæ *Armenia* primum erat: Verum jam hi qui ex ea homines oriundi ſunt *Carocoilu* vocantur, quos in lingua noſtra *verveces nigros* dicimus: ſicut *Perſiæ* & *Zagathai* provinciæ nominantur *Accorlu* & no-

nobis *verveces albi* ſunt: & apud illos regionũ ſunt vocabula: quemadmodũ dici inter nos ſolet *roſa alba, roſa rubra,* vel *Guelfi* & *Gibellini* vel *Zamberlini* & *Moſtracieri*: quibus titulis hic homines factioſi inſigniuntur. Caſtellum dein reperitur nomine *Mus* intra montes certos poſitum, parvum id quidem ſed forte; quod in monte extructum eſt, infraque civitatem poſitam habet quæ ambitu ſuo tria concludit millia, & incolis abundat. Illinc trium dierum itinere *Allarch* abeſt, caſtellum pulcherrimum munitiſſimumque, id ad lacum quendam poſitum eſt, qui amplius millium centum & quingenta eſt: aquilonem vero verſus, millia quindecim procul à lacu illo, lacus alius quidam eſt, qui circa octoginta millia ambit; in circuitu hujus caſtella quædam ſita ſunt. Poſt Allarch, civitas quædam eſt, quæ ædificia mille mœnibus includit: & in ambobus his locis navigia complura ſunt. Etiam ad alterum illum lacum urbs quædam eſt; nomine *Ceus*, fortis & mœnibus mediocriter munita. Inde diei unius procul itinere, maritima via incedendo, *Herzi* diſtat: hæc fluvium habet ejuſmodi, qui quinquies

etiam,

etiam, pontem, ſeſe rotando, præterit, & Ceuſo quidem *Herzilum* uſque alii quatuor pontes ad ſimilitudinem prioris extructi ſunt, quos item fluvius ille præterit. Herzili ſepultura matris eſt *Giauſæ*, quem Perſię olim & Zagathai Dominum fuiſſe ferunt. Procul à loco illo ad quinque millia *Orias* eſt caſtellum forte in colle eminentiori poſitum. Medii hinc diei iter Coium perducit: non ad illam de qua ſupra quædam narravimus urbem, verum ad aliam quandam ejuſdem nominis. Quinque exinde dierum itinere; campeſtria quædam diſtat, qua in media civitas ſplendidiſſima ampliſſimaque extructa, eademque ſecunda jam vice à Tamberlane deſtructa eſt. Multæ pręterea villæ cernuntur, & poſt has lacus quidam alius, qui in longitudine ad ducenta patet millia, & latus millium triginta eſt: & inſulas quaſdam quæ incoluntur in ſe continet. Poſtremo duę ſunt civitates *Teſſa* & *Zeriſter* vulgo dictæ: quæ ambæ invicem tria ædificiorum millia efficiunt. Res alias, memoratu admodum dignas, ibi non vidimus: præterquam quod ubique in iiſdem telarum bombicis & canapii

operæ

operæ fiunt:& ſetarum pauciſſimæ etiam. Carnis abundat copia: in primis vervecina, vini itidem & fructuum optimorum & ſapidiſſimorum, quos quidem illi ex inſulis illis quæ circum vicinæ in mari magnó ſunt advehere ſolent. Iam vice ſecunda *Taurin* revertar & pauca quæ memoria digna ſunt de locis illi adjacentibus & vicinis addam, omiſſis omnibus illis quæ in medio ſunt, utpote, quæ nec digna ſunt: quorum mentio fieri debeat. Duodecim dierum itinere à Tauri poſita *Sammachi* eſt, quæ civitas media eſt in regione *Thezichia*. Dominus illius adpellatur *Sirvanſa*: & hæc eadem civitas qualicunque urgente neceſſitate octo vel decem etiam ex ſe equitum armatorum millia producit: vicina præterea per ſex dierum iter, mari Caſpio eſt,quod eidem dextram verſus adjacet. Mengleriæ quæ ad ſiniſtram mare magnum ſpectat: & Catacchii qui ad Caſpium montem incolunt. Hæc ſplendidiſſima & magnificentiſſima civitas ædificiorum ad quinque millia habet;operas ex ſeta & bombice conficit alias etiam complures ſecundum conſuetudinem illorum; & majori

jori in Armenia ſita eſt : unde major incolarum pars Armenii ſunt. Illhac *Derbenthum* quoque itur, ab Alexandro extructam ferunt: quę ad Caſpium mare poſita eſt, & à monte miliari procul uno diſtat ; in monte autem caſtellum habet : & dein in mare uſque concedit cum duobus muris alis ad interius uſque fundum penetrantibus. Urbs ipſa ab una uſque ad portam alteram medii miliaris ſpacii eſt; muri ejuſdem ex ſaxis duriſſimis acutiſſimiſque ad Romanum morem extructi. *Derbenthum* noſtro idiomate *arctum* ſignificat, & à multis quoque quibus cognita loci natura eſt *Temicarpi* adpellatur, quam in lingua noſtra *portam ferream* interpreteris. Et profecto, hic, qui eo illam nomine inſignivit, id quidem convenientiſſime fecit, nam provincia hæc Mediam à Scythia dividit : adeo ut ſi quis è Perſia, Turcia, vel Aſſyria & circum aliis jacentibus regionibus profectus, in Scythiam ire velit : oportet ut per portam unam urbis intret & per alteram exeat : quæ res illi qui alias ſitus locorum non cognitos habet, ſupra modum admirabilis & parum abſit quin impoſſibilis etiam videatur. Cauſa

ſa hujus rei hæc eſt. A Caſpio, ad magnum uſque mare, via recta quingentorum eſt milllum : atque ager totus mœnibus vallibuſque abundat:Et locis in aliquibus Dominis quibuſdam ſubeſt. Agros nullus adeo audax eſt qui ibi conſerat, ſed iidem majori ex parte incultos relinquunt. Unde, ſi quis cogitat, ſe per viam eam, ne Derbenthum tranſire oporteat, iturum : neceſſum erit,ut primum in *Gorgianiam* eat:dein in *Menglerum* ſe conferat, quæ ad magnum mare ſita eſt,& præterea caſtellum quoddam vocabulo *Alvathi* adeat,penes quod mons quidam reperitur altiſſimus, ubi equos relinquere & pedibut ambulare ſuper colles cogetur, tantiſper donec aſcendendo deſcendendoque duorum integrorum dierum ſpacium conſumat. Poſtea in declivi *Circaſſia* eſt; de qua ſupra in parte priore dicta quędam à nobis fuere : quæ via per illos tantum frequentari ſolet,qui in confiniis habitant. Atque per diſtantiam hanc locorum intelligi poteſt, qui ſi extra quis illhac proficiſcatur, incommodiſſime id illi accidere. Ad propoſitum redeundo, ratio etiam ea eſt, quia mõtis etiam radices

dices aqua alluit: ubi Derbenthum eſt poſitum. Littus illico ante, & valde parum terræ eſt:& arctum hoc ad ſexaginta millia ad equitandum aliquo modo conveniens: ibi dein à tergo ſeſe ad ſiniſtram vertendo mons rotatur: & conſcendi idem poteſt: qui more antiquo Caſpii nomen obtinuit: ad quem etiam Monachi ordinis S. Franciſci habitant & ſacerdos quidam latinus noſter. Populi, qui loca illa inhabitant, *Caitacchi* vocantur, ut dictum ſupra eſt. Idiomate diverſo ab aliis utuntur: atque multi eorum ſunt Chriſtiani: quorum aliqui ritu Græco in ſacris adminiſtrandis utuntur, Armenio aliqui, Latinum reliqui Catolicumve morem obſervant. Ad mare, ab illo ipſo latere, alia quædam civitas eſt quæ *Caſpia* adpellatur, à qua Caſpium primum nominari mare cœpit: hanc penes mons quidam eſt: qui oleum pigrum immenſi fætoris ejicit: quo ad luminis nocturni uſum, itemque ad Camelos bis annuo ſpacio ungendos utuntur: inuncti enim ſcabiem contrahunt. Agrum, qui ad Caſpium montem eſt, poſſidet *Tumembi* quidam; quem in noſtra lingua *decem millium Dominum* di-

cas:

cas : ſubditi illius,domibus utuntur ad birreti formam, ſimilibus omnimodo illis,de quibus ſupra nonnulla diximus. Infra hæ,è ligneo circulo undique circumperforato,ſunt factę:hujus diameter ſeſqui alterius eſt paſſus : in circulum illum virgas aliquot defigunt:quæ in parte ſuperiori omnes in parvum alium circulum redeunt: dein univerſas felteris panniſve, juxta conſuetudinem ſuam cooperiunt:& cum ulterius in loco aliquo morari nequeunt, caſulas dictas tollunt; habitationemque aliam quærunt. Cum à Domino illo reverterer: Imp.Tartarici filius eo advenit, qui in uxorem duxit unam è filiabus hujus Domini;cujus pater recens è regno pulſus fuit. Hic in caſa ſimili quadam ſeſe poſuit : ſuperque terram ibi ſedit: interdiu aut inviſebatur à quibuſdam qui è regione ſua eo venerunt,& ab aliquibus etiam incolis provinciæ in qua tum ipſe degebat. Modus viſitationis hic erat:quando jam ad jactum lapidis unius à porta aberant, armis exuebantur eademque projiciebant : & paſſibus aliquot cum à porta propius aberant, flectebant genua, & hæc duabus vel tribus vicibus iterabant:

bant: propius ſemper accedendo donec ad decem longe paſſus abeſſent. Et tum primum eo in loco rem ſuam expediebant: acceptoque reſponſo revertebantur iterum, brachiis non amplius ad dominum converſis. Aliquando cum Domino *Tumembi* vixi: hujus vita meris potationibus conſtabat: vinumque is bibebat è melle præparatum. Non extra propoſitum eſſe viſum eſt (cum de Caſpio monte ejuſdemque circum incolis quædam diximus) referre hic hiſtoriam quandam quam recens à monacho quodam ordinis S. Dominici nomine Vicentio audivi, qui miſſus certi expediendi negotii cauſſa illac erat: atque decem ſpacio menſium diſceſſerat. Ad religionem enim noſtrã pertinere quodammodo puto. Monachus hic ergo dicebat, è Soldani olim regione, certam Machometanorum ſectam prodiiſſe: ingentem religionis Zelum ſpirantium mortemque Chriſtianorum ſitientium: atque hos, quanto plus itineris confeciſſent, in tanto ſemper majorem numerum & multitudinem creviſſe. Facinoroſi iſti homines, iter ſuum, Caſpium verſus mare direxerunt: Samma-

Sammachumque advenerunt, ac Derbenthum poſtea atque illac Dumenum diſceſſerunt : & ex his armis deſtituti plerique erant. Ad flumen autem quoddam, vocabulo *Terch* ſeſe poſuerunt : Id in *Tezeckii* provincia eſt, ac circum Caſpius mons : ad quem plurimi Chriſtiani incolunt. Hi tunc ubi aliquibus in locis Chriſtianos ſubolfecerunt : nullo habito ſexus ætatiſve reſpectu fœminas, mares, juvenes, ſenes, invicem omnes trucidarunt. Poſthæc in *Gogi Magogique* regionem nebulones illi excurrerunt : quas itidem Chriſtiani incolunt : verum ritibus in ſacris faciendis Græcis utuntur : atque cum his haud modo alio, omnibus occiſis, peregerunt. Dein *Circaſſiam* verſus iverunt : & Chipiche Charbatumque, quarum utraque cis magnum poſita mare eſt, abierunt : abſque ratione eadem cum illarum incolis Chriſtianis quoque proceſſerunt : uſque dum *Didracoſſan Cremuchumque* pervenerunt : ubi armata incolarum obviatum manu eſt : tanta cum illorum contuſione & ſtrage, ut vix viginti & centum ſuperſtites evaſerint, è regioneque profugerint. Atque hinc perſpici

ci poteſt, quam male Chriſtiani, circum ibi degentes, habeantur. Atque accidiſſe id quidem 1486. Chriſti anno, ait. *Derbenthi* (quæ res mirabilis admodum videtur) procedendo porta quadam ſub muro, in loco quodam, uvæ, aliæque fructuum ſortes, prodeunt: imprimis vero amygdalæ. Ab altera porta ne fructus ne arbores quidem ullæ aliæ ſunt, excepto quod Cydonia fera incultaque pauciſſima quædam naſcuntur: atque id per decem, quindecim & viginti etiam millia, hoc in ordine durat. Vidi ulterius quoque (cum ibi eſſem) in promptuario quodam anchoras duas, quarum una octoginta & plures libras valebat: atque hæ ingentium me quibus uſi olim ſunt, navigiorum admonebant. Grandiores jam quæ inveniuntur anchoræ una earum, centum quinquaginta vel ducentarum quoque librarum pondus æquat. Expoſitis his quæ ad regiones pertinere videbantur atque iis quæ propriis ſpectavi oculis meis, percepique auribus Taurim narrationem reduco. Initio autem de *Aſſambeio* quædam dicam. Is, Tauri cum diſcederet vocem quandam publicari juſſit:

tan-

tanquam contra Ottomannum expeditionem ducturus : quod ipſum tamen, ex conjecturis aliquot cum animadverterem, credibile nunquam ſtatui. Erant in univerſum equitum armatorum quatuor & viginti millia: auxiliarium copiarum quoque ad millia ſex. Mancipiis infantibus & fœminis haud computatis. Igitur ſeptem fere dierum confecto itinere: ad dextræ deflectimus viam, Georgianiæ oppoſitam, quam & poſtea intravimus: deprædandam enim Dominus ſibi propoſuit: qui præcurſores eo aliquot juxta conſuetudinem ſuam præmiſit: qui equites numero ad quinque fere millia erant: anteibant illi demetentes ſtrenue ſylvas exurenteſque: montes enim nobis conſcendendi altiſſimi, ſylvæq; denſiſſimæ tranſeundæ erant. Focos, nos qui ſequebamur, fumumque procul exeuntem vidimus: atque hoc pacto via quam tenere debebamus nobis innotuit. Itinere etiam in Georgianiam uſque alio, dierum duorum facto, *Zitlin* appulimus: quam regionem univerſam ne ulla facta oppugnatione quidem reliquimus. Ulterius ſed progredientes *Gorum*, & quædam

alia

alia circum loca ſtantia ivimus: eaque prædæ commiſimus omnia. His ipſis, compluribus in regionibus patratis; factum dein eſt, ut pacta cum *Pancratio* Georgianiæ, *Gurguraque* regibus Aſambeius iniret: ſedecim ut ſi aureorum millia deponerent: tum totam ſe illis rurſum regionem conceſſurum, Zitili excepta, pollicitus eſt: eam cum pecuniæ vim reges Pancratius Gurguraque celeriter adeo deponere non poſſent: Bolamites quatuor miſerunt: qui probati erant: verum non magni adeo nec pulchri, quales hi ſunt, qui Venetiis in templo D. Marci ſuper altare poſiti peregrinis monſtrantur. Et hoc modo cum Bolamites iſti Aſſambeio oblati eſſent: ad eoſdem videndos æſtimandoſque me miſit. Ego quamprimum à Domino diſceſſi: legati Pancratii Gurguræque ſignificari mihi jubent, bene æſtimarem Bolamites: etenim ſe quoque Chriſtianos eſſe. Ad Dominum cum perveniſſem: continuo Bolamites mihi dari juſſit: & eum ſubtilem quendam admodum intuerer: rogatus ab Aſſambeio ſum quanti eum æſtimarem eſſe precii: reſpondi quatuor aureorum millium: ſubriſit

ſubriſit ille, aitque; *nimium caro tua in patria venduntur*: Bolamites amplius nolo: ſed pecuniam malo. Homines quos tum temporibus é regionibus abſtulimus, quatuor vel quinque millium numerum explebant. Loca quæ percurrimus, ſiniſtram Gurguræ verſus provinciam ſpectabant: *Cothaclis*, quæ Pancratio regi ſubdita eſt, oppidulum ſupra monticulum poſitum ante cum labente fluvio habet; per pontem lapideum qui locus mediocriter eſt, tranſitur fluvius: iturque *Schenderum* verſus, caſtellum ſatis munitum: quatuor quod Gorii dierum itinere diſtat. Dein (altiſſimo quodam monte ſuperato) Aſſambeii intravimus provinciam: quæ majori in Armenia eſt: & trium procul dierum itinere, caſtellum *Loreum* reperimus: ab eodem quatuor rurſum dierum itinere, mons *Noæ* diſtat: is in quo primum remittente diluvio, quieviſſe arcam dicunt; hic mons altiſſimus eſt, planiciemque habet ſpacioſam: duorumque dierum iter complectitur: & Veris aſſiduo æſtatiſque temporibus nivibus coopertus eſt. Ante hunc mons alius parvus nivibus itidem onuſtus reperitur.

Duorum dein dierum itinere procul, caſteilum eſt quoddam vocabulo *Cagri*: & hoc circum Armenii incolunt: qui Catholici ſunt duoque monaſteria habent: primarium quorum Alengiam vocant: in eodemque monachos quinquaginta regulam D. Benedicti obſervantes,alunt: Miſſam illi modo noſtro in lingua ſua canunt. Præpoſito (poſt meum Venetias reditum) carebant; & ex his tum unus venit: qui Venetiis ante hac ad D. Pauli & Johannis in monaſteriis vixit: idque propterea ut domi me meæ conveniret,eum à quo commendatus Sereniſſimo Senatui noſtroque Summoque pontifici fuit,quo in præpoſiti jam defuncti fratris ſui locum ſufficeretur. *Aſſambejus* poſtquam ejuſmodi pacta cum Pancratio Gurguraque regibus iniiſſet: accepiſſetque ſedecim illa ducatorum millia: Taurin reverti conſtituit: tum ego qui omnino jam expeditionem contra Ottomannum non proceſſuram animadverti: veniam in patriam revertendi petii: Eadem impetrata, per *Tartariam* primum cum legato Aſſambeii qui cum mercatoribus pleriſque Tartaris in itinere ſeſe con-

conjunxerat, ivi: ab iiſdem intellexi (id quod in prima itineris mei ad Tanaim parte commemoravi) *Hegmedhum* Edelmughi filium Tartarorum Imperatoris nepotem, poſt patris obitum, ſummum apud Imperatorem ipſum dignitatis gradum obtinuiſſe: qui Hegmedhus datus à patre ipſo filius mihi erat: ac propterea etiam iter continuare illud vehementer cupii: utpote qui certiſſimus eram, optime me eundem, ſi ad id loci deveniſſem, habiturum eſſe: Verum copiæ id impediere, quæ paſſim in regionibus illis vagatæ ſunt. Quamobrem neceſſum fuit mutare conſilium Taurinque reverti: id quod anno 1488. accidit. Eo cum perveniſſem: Aſſambejum habentem male ægrotantemque lethaliter reperi: is nocte Epiphaniæ feſtum ſequente, abiit: quatuor cum poſt ſe reliquiſſet, unum è ſecunda, tres vero è prima conjuge filios. Ea ipſa adhuc nocte, tres uterini fratres quartum non uterinum ſtrangulari curarunt, juvenem viginti & duos annos natum: atque ita inter ſe tres ipſi in partes hæreditatem paternam diviſerunt. Dein frater medius occidi majorem quoque juſſit:

ipſe cum prius in poſſeſſionem ſeſe bonorum ipſius intruſiſſet, quam eandem ad præſens uſque tempus retinet. Eæ autem res cum conſtitutæ ita eſſent : ego cui liber vivente patre ad ipſum & ad filios patebat aditus, cum Armenio quodam me conjunxi, qui Aſſenganum ibat, ibidemque etiam commorabatur : & mecum duxi puerum Schlavonicum qui ſolus mihi reſiduus fuerat ex his,quos mecum in regiones illas è patria mea duxi. Veſtivi autem me pannis illis quos habebam adhuc tenues : & quoad potuimus celeriter una ivimus: ad exuendum illud dubium, quale ex novis illis accepimus, quæ frequentia circa obitus ejuſmodi magnatum accidere ſolet: Ad 29. Apr. *Aſſenganum* pervenimus: quo in loco circa menſem fere unum manſimus : Carovannam quæ Aleppum ibat expectantes. Migrantes illinc in *Cymis, Caſſeg, Arapchir*, quæ caſtella ſunt incidimus. Poſt ad urbem quandam appulimus vocabulo *Malathia* : quæ pulcherrima refertiſſimaque negotiatoribus eſt:imperio v.Soldani paret. Aſſengano ad montes & valles complures devenimus; in vias præ-

præterea lapidoſas peſſimaſque incidimus; raro aut caſulas reperiebamus & villas quaſdam pauciſſimis inhabitatas. Aſſengani aliquando, cum in mercatorum foro cum aliquibus ex Carovana,quibus cum me conjunxi, aliquandiu morarer : cum illo qui vectigal à peregrinis exigebat, quidam tum, ad recenſendos eos qui ſolvere debebant aderant: atque hoc medio in actu, in remoto quodam loco ſtabam: parantem iter diſcedentemque Carovannam expectans. Et ecce è Carovanna unus penes me conſtitit : & inquit: quid hic ô bone agis? Publicanus quinque vult ducatos perſolvas : *Coz* enim te intellexit iturum eſſe, (id quod noſtro idiomate *Hieroſolymam* vocant) atque jam ni faxis ſubito re accuſabit. Ivi ego,ſupraque ſaccum ſedentem reperi, rogavique quid fieri ſibi vellet:reſpondit:ito & quinque perſolve aureos. Cum ſinguli illi qui è Carovanna erāt(nam hoc prius ex me audiverunt) iturum *Syoum* clamarent: nihilominus pro me quinque deponere aureos debere contendebat. *Syo* celebratiſſimum in Perſia promontorium eſt: quod alio nomine *Seghex* di-

 citur:

citur :_in noſtro idiomate *Maſticum* eſt. Maſticum enim ibi naſcitur, quo in locis illis plurimum utuntur. Atque in medio hoc unus, qui (prout ego arbitratus ſum) domeſticus aliquis publicani erat: relinquas, ait, eum: Ille autem, volo, inquit, ut ſolvat: aſſiduo caput ad terram inclinans: tum hic manum illius ad naſum impegit: adeo ut abſque mora ſanguinem per eundem largiſſime effunderet: & illi cui pugnum iſtum impegerat, ſemper,inquit, fuiſti inſanus tu quidem: proripuitque è turba me, & dixit: abi jam cum Deo ſodes. Conſcendi autẽ equũ poſtea, cumque Carovana abivi. in itinere, caſtella, villas regioneſque complures pulcherrimas tranſivimus & transfretato Euphrate *Aleppum* apulimus: qua de provincia dicere adeo nihil novi poſſum: nota enim omnibus ſatis eſt. Illinc cum diſcederem, additus quidam mihi *Mucharius* eſt qui in lingua noſtra *ducem* ſignificat:quo cum ego & famulus meus diſceſſimus:ut ad littus,ſeu ut appellant,*Barutum* perveniremus. Atque in littore cúm in media *Tripolis* via eſſemus: in cohortem Mamaluchorum arcu jaculantium incidimus:

cidimus : horum aliqui viſo ductore, equos ad præcurrendum me, ſuos cogere cœperunt : verum ego (qui animadverti eos eſſe qui damno aliquo adficere me vellent) ductorem cum famulo ire præ me juſſi : ipſe vero pedentim ſubſequutus illos ſum. Mamaluchis autem iſtis cum approximaſſem:qui ulteriorem viam jam undique præcurſu ſuo intercludebant, per duos fere arcus unius jactus longius procedere cœpi : tum ſine mora ex his quidam compellat, me, pater, inquiens, ſalve. Ego (vultum illi benignum monſtrando) propius ad illum accedo, atque ulterius, quid bone vir, aio tibi vis: tum hic viciſſim quo abis? Quo abeam ego? quo nempe meum me portabit infortunium: rogavit autem cur ejuſmodi verbis uterer: reſpondi annum jam elapſum quoad faſcium ſetæ mercatori cuidam vendidiſſem, ac proinde jam Aleppum iviſſe ut precium pro eodem repoſcerem: ſed ibidem eum non reperiſſe & Barutum quod commeaverit audiviſſe : atque nunc de mea hoc pacto vagabundum pauperie conqueri. Motus miſericordia eſt (poſtquam hæc à me audiviſſet)

aitque, ô bone, cum Deo abi meliorique fortuna utere. Perrexi ego cumque ductore me conjunxi: qui quam primum me aſpexit, ridere cœpit: ha ha exclamans, quam bene te e latronibus illis proripuiſti: noſti enim quod nec Turcice ego nec Æthyopice tu loqui poſſis: atque hoc in colloquio Barutum appulimus: quo paucis poſt elapſis diebus, cum navis è Candia quædam veniſſet: cum eadem in reditu illius in Cyprum profectus ſum: ac inde divino cum auxilio Venetias poſtea perveni. Facturus operæ precium videor, ſi enumeratis jam omnibus ad iter pertinentibus rebus, quædam etiam de ſuperſtitionibus quarundam gentium, tum de religionis ſimulatione, tum de mala cui juncti perpetuo in locis illis ſunt, Chriſtianorum ſocietate commemorem. Igitur cum in itinere *Sammachum* verſus eſſem: ad hoſpitale quoddam diverti: in quo ſepultura ſub camera quadam lapidea erat: & hanc penes vir quidam barba & capillis longis nudus (excepto quod parum cum pelle quadam ante & poſt tergum coopertus erat) in terra ſedebat. Salutavi eum, quidque boni face-
ret

ret rogavi : reſpondit mihi ſe patrem ſuum cuſtodire : tum ego quis inquio pater eſt tuus? at ille pater ait, meus eſt qui proximo vult bene ſuo: qualis olim revera fuit is qui hoc conditus monimento eſt: atque ulterius dixit : ego per triginta annos integros ſocium habui illum conjunctiſſimum: volo autem ut vivum olim aſſiduo, ſic defunctum etiam ſequi : adeo ut cum vita quoque defungar in hoc ipſo loco ſepeliar: ſatis profecto mundum huncce intuitus ſum. Jam mecum ipſe ad mortem ſic uſque perſeverare conſtitui. Aliud quoddam *Tauris* in die memorationum mortis vidi. In cemeterio quodam ſedebat unus apud monumentum quoddam, cujus volucres complures ori inſidebant; atque inter has præcipue corvi corniceſque erant : & cum cadaver eſſe mortuum putarem: rogavi unum ex his qui mecum ibi aderant quid hoc eſſet? reſpondebat hominem ſanctum vivum eſſe; cui in univerſa hac provincia ſimilis reperiri non poſſit : & ultra, vides inquiunt haſce aves: die aliqua paſtum eo advolant: & cum ex illis aliquam compellat, continuo adeſt : ſanctus enim eſt. Et ſubjunxi

ultra, propius accedamus, ut videre melius poſſimus.

Acceſſimus autem propius ad unius fere jactum lapidis: & vidimus patellas aliquot ciborum apud eundem poſitas: aves autem ſupra vultum ejus ad capiendam eſcam volabant: ille vero manu arcebat aliquas: interdum aliquibus cibi aliquid porrigebat: atque de his rebus omnibus plurima mihi miraculoſa juxta intellectum ſuum fingebant: quæ profecto omnia, illi, qui parum tantum ſanioris judicii intellectuſve ſit, non niſi ſtulta nugatoriaque eſſe videantur.

Tertium illorum hoc erat: *Aſſambejus* cum majori in Armenia quæ Turcimmannia nunc dicitur eſſet, luſtraſſetque militem, cum quo in Perſiam ad *Giauſam* regem Perſicum Zagataique ad Heren uſque urbem debellandum proficiſceretur, Dravis quidam in exercitu tunc fuit, qui una cum aulicis Domini menſa utebatur: hic baculum aliquando quem in manu gerebat in catinos è quibus comedebāt intruſit, & pauciſſimis dictis verbis eoſdem omnes perfregit: & hic falſus & lepidus homo erat. Rogavit poſtea, de

de eo, quod dixiſſet, Dominus: atque reſponſum illi ab iis qui intellexerant eſt: prædixiſſe victoriam hoſtiumque contuſionem tali plane cum impetu futuram quo Catinos ipſe fregiſſet. Verum id affirmabat Dominus; & cum ulterius verum omnes futurum prædicerent: retineri ad ſuum uſque reditum juſſit: cum eidem promiſiſſet poſt ſuum è bello reditum quovis non indignum honore judicaturum eſſe. Ivit poſtea Dominus, contudit ac proſtravit hoſtem; univerſamque ad Herea uſque Perſiam cœpit; cunctoſque circum habitantes ſub jugum ſuum redegit: dein promiſſi non immemor; vocari huncce juſſit eum honorificentiſſime excepit & habuit.

Atque perſpici inde poteſt; quam res ibidem optimas ſtulti habeant: quamque facili cum labore ac opera ſancti quis opinionem apud multitudinem magnateſque acquirat. Verum ad mortis memorationes revertar. Has quando celebrare ſolent: ad ſepulturas omnes ingens maſculorum, fœminarum, ſenum & puerorum multitudo confluit; hi ad Grumim cum ſacerdotibus ſuis candeliſve accenſis ſedent:

qui ſacerdotes idiomate ſuo aut legunt aut orant:& lectionem quando orationemque perfecerunt;cibum in locum illum adferri ſibi curant. Locus autem, ſeu cemiterium, ubi morantur, quatuor vel quinque etiam in circuitu millia ambit: & in viis quæ ducunt eo, ſemper complures pauperes adſunt, qui eleemoſynam ſtipemque mendicant.

Monumenta ipſa, lapides ſingula erectos habent, ſupra cum impreſſo qui in iiſdem conditur defuncti nomine: etiam quædam ædiculas ſupra muratas continent. Atque hæc de rebus ad ſuperſtitionem pertinentibus dixiſſe ſufficiat.

Nunc de illis quæ ad religionis ſimulationem pertinent, unam attingam. Atque utinam inter Chriſtianos nos, vel non ejuſmodi ſimulationes eſſent, vel eædem juſto eodemque modo quo hæc de qua dicturus jam ſum punirentur: primum enim ut optimum, ſic alterum non indecorum hercle eſſet. Macomethanus igitur quidam, ſanctus erat: qui nudus beſtiarum inſtar incedebat; aſſiduo de rebus apud illos ad religionem pertinentibus

nentibus prædicans concionanſque:& hic cum magna ubique ſanctitatis in opinione eſſet, concurſuſque ad eundem creberrimi vulgi fierent, nondum tamen ea in qua à populo habebatur exiſtimatione contentus, in muro ſemetipſum concluſurum, & quadraginta dies ibi abſque cibo & potu ſanum integrumque manſurum dixit. Ergo facinus id tam audax cum aggrederetur: lateres adferri coctos ex iiſdemque Cameram rotundam extrui; & eidem ſe includi juſſit: cumque poſt quadraginta dierum exitum ſanus integerque ex eadem egrederetur: omnes qui aderant mortales ſummam ob id in admirationem ſtuporemque adducti erant: verum unus ex illis cautior quam reliqui, eo ipſo in loco, carnis aliquantulum ſubolfecerat: & cum ulterius quæreret: fraudem una cum cibo detexit. Hæc res cum ad Domini uſque aures pertigiſſet: Cadilaſcharo eundem tradidit: cuſtoditus etiam fuit diſcipulorum illius quidam, qui ſine quæſtione & tormentis confeſſus eſt, murum ſe ab una ad alteram uſque partem clauſiſſe, ac proinde immiſiſſe canalem, per eundemque nocturno tem-
pore

pore juſculum victualiumque alia infudiſſe. Atque ſic revelato cognitoque dolo ambo illi duo mori juſſi ſunt.

Quod ad malas, quibus ibidem Chriſtiani utuntur ſocietates adtinet: illud hic recitare placuit, quod ex Petro Guaſco Genuenſi cive audivi; qui inde tunc locorum venerat, mecumque circa tres fere menſes verſatus eſt. Eum, cum de rebus novis quæ in regionibus illis accidiſſent, compellarem: *Tauris*, inter alia, inquit, cum die quadam in Armenii cujuſdam ditiſſimi aurificis vocabulo *Chozamirech* taberna eſſem, *Azi* quidam eo pervenit, qui ſanctus in religione illorum habebatur, hic importune aurificem, ut religionem Chriſtianam abnegaret Macometicamque aſſumeret, allocutus eſt: ille verbis ei humaniſſimis miſſum ut ſe faciat perſuadere conatur: hic furioſo cum impetu nihilominus aſſiduo inſtat. Promit ergo donarios aliquot artifex, atque ea conditione ut in poſterum ſe relinquat eidem offert: ſed recipere noluit clamavitque porro Mahometanus fieret: reſpondit, at, Chozamirech, ſe nullo pacto religionem ſuam abnegaturum eſſe: verum

in fide Iesv Christi qua in à pueritia educatus fuerit, firmiter perſeveraturum.

Tum converſus ſceleratus ille, enſem adſtantis cujuſdam è femore eripit; Chozamirechoque ictum ejuſmodi in caput impingit: ut eo ipſo momento innocentiſſimum quamvis trucidaverit: ipſe vero in pedes ſeſe conjecit atque aufugit. Filius tum Chozamirechi quem triginta annos natum habebat, ipſeque tum in taberna præſens aderat, lamentari deplorareque innocentis obitum patris cœpit: ac proinde ad Dominum ſeſe contulit, eundemque de facinore tam audaci certiorem fecit: is ut dolorem quem inde cœpiſſet re ipſa teſtaretur, aliquot ad ſicarium illum quærendum prehendendumque ſervorum miſit: illum duorum dierum itinere Tauri procul in urbe Meren dicta invenerunt, ad Dominumque adduxerunt: hic cultellum popoſcit propriaque nebulonem ipſe cum manu perfodit: mortuique cadaver in aream publicam ut à canibus dilaniaretur projici juſſit; ſiccine, inquiens, creſcere propagarique Mahometanorum religio debet? Adveſperaſcente die, plerique ex vulgo quia Zeloſi circa religionem videri volebant, Darmiſcaſſum cuſtodem Aſſambeii ſenioris ſepulturæ, (apud nos Xenodochiarius is dici ſolet) acceſſerunt (hominem prudentia & auctoritate ſingulari præditum prioriſque Domini theſaurarium) ab eodemque veniam tollendi cadaveris, ne canes de nocte illud abſumerent, petiverunt: hic nihil ſuſpicatus ſubeſſe periculi, poteſtatem tollendi ſepeliendique dedit, quod & factum eſt.

Auditis his, Dominus, cujus non procul ab area diſtabat palatium, Darmiſcaſſum prehendi adducique ad ſe juſſit: cui, tu ne es, inquit, qui contrarium mandato meo decreto facis? proinde

ſatelliti-

ſatellitibus occidere ut ſeditioſum imperavit: quod illi quidem, abſque cunctatione, Domini obſequentes mandato fecerunt.

Poſthæc, cum populus, ait, juſſis refragatus eſt meis; urbs hoc tota facinus luet, ſacciſque, impero, induta ſit: atque ſic populns univerſus ſaccis cum clamore tremoreque ingenti induebatur: duravitque hic quaſi luctus per trium aut quatuor integrorum dierum ſpacium: dein exuere ſaccos multamve auri ingentem deponere juſſit.

His actis, vocatum ad ſe Chozamirechi filium, optimis humaniſſimiſque verbis conſolatus eſt. Fuit namque Chozamirech mercator ditiſſimus honeſtiſſimæque famæ.

Et hæc de mala quoque Chriſtianorum in locis illis ſocietate atque etiam aliis quæ hoc in perfecto opere continentur, rebus dicta ſunto. Quas profecto, eo quo fieri potuit ſtudio & induſtria, deſcriptas à me conſignataſque omnes eſſe puto: idque ulterius ea factum conditione teſtor, ut propagari illuſtrarique magnæ Iesv Christi Dei noſtri laudes poſſent.

FINIS.

AΦ1 145129

Digitized by Google